LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

VITAM
CAROLI SIGONII,

VIRI SINGULARI VIRTUTE, MORIBUS, INGENIO, DOCTRINA, MERITIS PRAEDITI,

AD

IMITANDUM IUVENTUTI

EXPOSUIT

INDICEMQUE EIUS LIBRORUM

ADIECIT

JO. PHIL. KREBSIUS
PHIL. DR. ET PROFESSOR LITTERAR. ANTIQ.

PROGRAMMA

QUO

LUSTRATIO VERNALIS

DD. XX. XXI. XXII. MENSIS MARTII MDCCCXXXVII

HABENDA INDICITUR.

PADAGOGIUMS-BIBLIOTHEK
IN
HADAMAR

WEILBURGI,
EX OFFICINA L. ÆM. LANZII.

Bibl. Hadamar
Geschenk des Herr Gelm.

Non putabam ante quinque annos, cum ad indicenda solennia explorationis progressuum discipulorum anniversariae programma[1]) scriberem, mihi hoc anno iam duo et quadraginta annos munere scholastico functo et sexaginta sex annos agenti denuo idem esse faciendum, cum sexagenarii usquequaque fere ex antiquo iure ac more ad quamcunque militiam parum idonei haberentur et vacationem habere solerent munerum omnium publicorum[2]). Deo autem O. M. supremisque gymnasii nostri praefectis et curatoribus aliter visum. Qua propter mihi nondum immuni cum programmatis scribendi munus hoc anno rursus contigerit, quaedam praefanda sunt.

Historiam vitae esse optimam magistram multi homines rerum usu edocti et experti[3]) recte dixerunt, nec ullam rem, nisi exemplis, perspicue ac dilu-

---

1) In quo est: *Specimen numorum, qui sunt gymnasii Weilburgensis, enumeratorum et descriptorum.* Wiesbad. 1832.

2) Idque recte et summo iure. Ut enim ingravescente aetate corporis vires in dies imbecilliores fiunt et infirmiores, utque sensus omnes hebescunt, ita animi vigor decrescit, nec mens manet integra. Otium desiderat senectus laborumque vacuitatem, cum munus officii nemo senex nisi lente ac tarde exsequi possit et tueri minusque sustinere labores. Hinc fiat necesse est, ut publicis laboribus negotiisque senes sint impares desintque officiis suis et muneribus, ac si non nimis indulgentes, remissi ac dissoluti, plerumque tamen fiant morosi, difficiles, severi, cum praesertim frons tristis gravem deceat senem: quae vitia animi vultusque a prudentibus bonisque magistris procul debent abesse, quippe qui sint gnavi, prompti, comes, liberales, humani. *Certe prima*, ut ait Plinius (Epist. IV, 23), *vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus, ut ipsae leges monent, quae maiorem annis sexaginta otio reddunt.* Morem illum antiquum confirmat Terent. Varro de vita pop. Rom. apud Nonium XII, 22: *Tum denique* (cum essent sexaginta annis maiores) *erant a publicis negotiis liberi et otiosi.*

3) Cicer. Orat. II, 9, 36. *Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur?* —

cide doceri posse, certissimum est. Nulla est enim ars, nulla disciplina, cuius ratio et doctrina tantum valeat, quantum exempla, quae demum tenebras, quibus praecepta saepe involuta sunt, illustrare ac depellere possint. Nec aliter se res habet, cum vitam moresque recte instituere volumus; exemplis[4]) indigemus, ad quorum normam nostram vitam moresque dirigamus. Exempla igitur circumspicere ac quaerere debemus optima sive vivorum sive mortuorum hominum, quae nos, quid petendum sit, petere, quid fugiendum sit, fugere doceant. Litterarum studiosis maxime id necessarium est, ne in pravitatis errores incidant, neve vias ingrediantur, quae magis abducant a vero, quam ad id, quod verum rectumque sit, recta via ducant. Quapropter adolescentes quaeso mature circumspiciant homines sive vivos sive mortuos, quorum vita moresque ipsis regula sint et norma. Sed cum in vivis nonnunquam levi aliqua ac minima offendamur macula, prudentius factum esse existimo mortuum aliquem hominem ingenio non solum et doctrina, sed vita etiam et moribus praestantem eligere, qui exemplo nobis esse possit, quod sequamur, quod imitemur. Non desunt eiusmodi docti homines, quos antiqua, quos recens aetas tulit innumerabiles. Perlustra eorum vitas et unum alterumve elige, qui

---

Alios historiae laudatores, qui multi sunt, commemorare, ab hoc loco alienum est et non necessarium.

4) Verissimum est enim, quod scribit Seneca Ep. VI: *Longum iter est per praecepta: breve et efficax per exempla. Etenim vita alius hominis nonne quodammodo speculi vice fungitur? nonne sub exemplo praemonemur, qua potissimum via ad eandem gloriam, quam alterum consecutum esse videmus, niti possimus.* Eadem fere Plinius (Ep. III, 18) de panegyrico suo, quem Traiano Caesari dixit, in quo *principibus Traianum velut e specula lumen, quod sequerentur, ostendere se voluisse* ait. — Opus certe nobis est aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant, nec nisi ad regulam prava corriges. Quod quam utile, quam necessarium sit, cum veteres ac recentiores viri docti intelligerent, vitas hominum multorum domi forisque praestantium exposuerunt, ut adolescentes sua quisque exempla, quae sequerentur, haberent. Veterum eiusmodi scripta pleraque nobis temporum iniuria invidit, paucis exceptis Xenophontis, Plutarchi, Diogenis Laertii, Cornelii Nepotis, Aurelii Victoris, quos nostra memoria multi imitati sunt. Larga enim hodie est copia vitarum ac memoriarum doctorum hominum. Simulacra autem vultus, ut ait Tacitus, imbecilla ac mortalia sunt; at fama posteris tradita semper manet et aeterna est.

te litterarum incendat amore, qui summo te teneat illum imitandi studio, qui viam tibi monstret, ne in devia ferare, qui te non solum ad laudem, sed etiam ad laborem excitet, sine quo magna non possumus consequi. Quem si nactus eris, ducem habebis, quem sequare, magistrum qui doceat, praeceptorem qui moneat, quibusque studiis ad magna contendere debeas, facillime disces. Verum etsi gratia novitatis, quae tantopere delectat — ita fert natura hominum — caligine nonnumquam obruit omnem antiquitatem placet tamen hoc loco recolere memoriam summi viri, quem saeculum sextum decimum tulit, qui a suis quondam in principibus doctorum virorum habitus est, qui virtutibus praelucet, qui omnibus ornamentis est cumulatissimus, in quo denique mihi videtur specimen fuisse humanitatis, industriae, doctrinae. Eum tacito monentem, quid faciendum, quid fugiendum sit, alacerrime sequi iuvabit. Is est

CAROLUS SIGONIUS [5]) MUTINENSIS,

quem vobis, adolescentes carissimi, tanquam praecipuum ac singulare exemplar probitatis morum, industriae, temperantiae et doctrinae ante oculos ponam, quem laeti, quaeso, intueamini, admiremini, imitemini. Eius vitam [6]) quam potero accuratissime narrare constitui.

Vixit saeculo illo, quod aureum quoddam esse praedicatur, sexto decimo sexaginta per annos ab anno 1523 usque ad annum 1584, iisdem temporibus, quibus praeter sexcentos alios nobiles et ignobiles viros doctos, quos enume-

---

5) Epistolis italice scriptis nomen invenies subscriptum: *Carlo Sigone*, rarius *Carlo Sigonio*.

6) Usus sum maxime in vita eius exponenda iis, quae ex purissimis fontibus hausit et diligentissime collegit *Lud. Ant. Muratorius* de vita Sigonii, quae Phil. Argelatus tomo I splendidae operum Sigonii editionis praemisit, ac praesertim iis, quae Sigonius ipse de se nulla sui ostentatione, modo ut adversarii sui Robortelli maledicta et criminationes libere ac sincere repelleret, in disputationibus Patavinis, de quibus infra dicetur, narravit. Vix autem digni sunt, qui de eo legantur, *Thuanus*, *Teissierius*, *Bailletus*, *Clarmundus* sive *Rüdiger* (Vitae clariss. viror. T. VI), *Jöcherus*, *Iselinus*, *Bouginé*, alii, qui neminem fere secuti sunt, nisi vulgatos sparsosque rumores, quos proferre inutile, refellere non necessarium fere videbatur.

rare longum est et non necesse, vixerunt *Jac. Sadoletus*, *Jul. Caes. Scaliger*, *Paul. Manutius*, *Pet. Nannius*, *Seb. Corradus*, *Andr. Vesalius*, *Petr. Victorius*, *Conr. Gesnerus*, *M. Ant. Maioragius*, *Franc. Portus*, *Hier. Wolfius*, *Barth. Eustachius*, *Gabr. Fallopius*, *Onuphr. Panvinius*, *Franc. Luisinus*, *Adr. Turnebus*, *Henr. Stephanus*, *Barn. Brissonius*, *Jac. Cuiacius*, *Jos. Scaliger*, *Mich. Neander*, *Guil. Xylander*, *M. Ant. Muretus*, *Petr. Perpinianus*, *Hier. Osorius*, *Luc. Fruterius*, *Dionys. Lambinus*, *Guil. Canterus*, *Petr. Pithoeus*, *Steph. Vin. Pighius*, *Franc. Hotomanus*, *Ant. Riccobonus*, *Fulv. Ursinus*, *Hier. Mercurialis*, *Just. Lipsius*, *Laur. Rhodomannus*, *Fr. Sylburgius*, multi alii, qui omnes suae quisque [7]) disciplinae principes fuerunt, ad litterasque et disciplinas, quibus dediti erant, ad summum evehendas plurimum contulerunt. Illi posteris omnibus quasi exemplorum causa nati sunt, vixerunt, floruerunt, in quorum vestigiis qui insistamus eaque studiose persequamur, nobis dignissimum erit. In eorum numerum non immerito vel summo potius iure Sigonius referendus esse mihi videtur. Pervolutate, quaeso, lectores benevoli, indicem eius librorum, ex quo manifestissimum vobis erit, cum quadraginta fere per annos indefesso studio in eo elaborasse, ut historiam et antiquitates Romanorum, quae ad ipsius tempus multis et densis tenebris involutae erant, luce doctrinae suae illustraret. Nec tamen unquam tricis, ut ita dicam, antiquariis delectabatur, cuius generis [8]) multa multi tum iam scribere coeperunt; maiora potius eligebat argumenta, ut aequales sui pristinum imperii Romani statum formamque et administrationem rei publicae antiquam, qua scientia ad antiquos scriptores intelligendos nihil

---

7) Philologi quidem plerique sunt, quos nominavi; *Sadoletus* autem fuit theologus, philosophus et poeta clarissimus; item *Hier. Osorius*; *Vesalius*, *Eustachius*, *Fallopius* et *Hier. Mercurialis* anatomi fuerunt et medici sui temporis experientissimi; *Brissonius*, *Cuiacius* et *Pithoeus* iurisconsulti illustrissimi — quorum omnium vitas cognoscere in sua cuique arte et disciplina fuerit utilissimum.

8) Ut de calceis, crepidis, soleis, tintinnabulis, equuleo, armillis, inauribus, barba, lectis, lecticis, loricis, coronis, vinis, talis, tesseris, servis, aliis eiusmodi rebus minutis, de quibus factas compilationes recte *insulsas* nominat Ruhnkenius in orat. de doctore umbratico p. 126 (Opusc. T. I. ed. Friedem.)

magis est necessarium, melius et quasi interius cognoscerent; quibus libris gloriam sibi peperit aeternam, nomenque accepit *Vindicis et conservatoris antiquitatum romanarum* [9]). Neque vero delectabatur nugis poeticis [10]), quas amat Italorum fervidum ac leve ingenium, quippe qui unice studiis gravioribus intentus esset. — Sed tamen iam ad ipsam vitam progrediamur.

Natus est Mutinae [11]), antiqua Italiae urbe, certe anno 1523 [12]), non ignobili genere nec inhonesto [13]) patre. Quo die, nusquam relatum legi. Pater, ut ait ipse Sigonius, puerum illis artibus erudiendum curavit, quibus maxime ad virtutem imbecilla aetas informaretur, eumque eorum potissimum disciplinae commendavit, ad quos tum ab universa illius civitatis nobilitate propter doctrinae atque integritatis famam fieret concursus. Incidit autem eius pueritia et adolescentia in felix illud tempus, quo in patria urbe *Franciscus Portus* [14]) Cretensis, homo doctissimus, graecas litteras docebat; lati-

---

9) Iudicia de eo multi multa fecerunt honorifica, ut Onuphr. Panvinius, Paul. Manutius, Muretus, Guil. Canterus, Jos. Scaliger, Adr. Turnebus, Js. Casaubonus, Andr. Schottus, Just. Lipsius, J. Fr. Gronovius, J. Ge. Graevius — a quibus primariis philologis laudari non ultima debebat esse laus. Cf. infra annotat. 59 et 60.

10) Nimirum gravis et tetrica eius natura, aliena prorsus ab omnibus, quae animum sensusque titillant, abhorrebat a poësi, cuius ne vestigium quidem in libris eius reperitur; nec vero minus non attigit multum artem oratoriam, nisi cum munus postulabat, quippe cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita non esset; nec epistolas scripsit multas, quibus scribendis otium deesset. Atque has paucas insuper nobis plerasque Fortuna adversa intercepit.

11) Hodie nominatur *Modena*.

12) Secundum alios a. 1521 aut 1522 aut 1524. Illum annum 1523 verum esse ex tabulis natalitiis in tabulario Mutinensi repositis statuit Muratorius.

13) Contrarium criminabatur Robortellus, Sigonii adversarius, de qua discordia infra narrabitur. Verum Sigonius ipse falsam eam esse criminationem demonstravit in disputationibus Patavinis p. 324. Utut est, genus nulli plus dignitatis et honoris parit, quam vita bene acta, integri mores et summa doctrina. *Is gloria maxime excellit*, ut ait Cicero (Planc. 25), *qui virtute plurimum praestat*. Nec profecto ignobili loco natus non potest virtute tueri nobilitatis dignitatem.

14) Natione fuit Graecus in insula Creta natus, qui cum studiorum causa Patavium venisset, postea in Italia mansit. Docuit primum Mutinae, et magna sua graecae linguae scientia fecit,

nam linguam aliasque artes et disciplinas quis eum docuerit [15]) nescimus. Vivebat autem tum homo latine doctissimus ex eadem urbe Mutina oriundus, *Jac. Sadoletus* [16]), Episcopus postea Carpentoractensis, cuius latina oratio integritate, sinceritate, elegantia maxime excellebat. In hoc quidem viro amplissimo singulare exemplum habebat, quod imitaretur. Licet autem verum sit, quod nonnulli dicunt, in puero et adolescente non fuisse alacre ingenium nec insignem docilitatem, id tamen certissimum est, studio et assiduitate eum ceteris suis condiscipulis non inferiorem fuisse. Habuit praeterea condiscipulos, quorum ingenium, ut ait ipse, studiumque acerrimum tardissimum etiam quemque excitare atque ad laudem gloriamque imitandi cupiditate et studio aemulationis facile posset accendere. Quare certum est alterum alterius studia fovisse. Duo ex eis nominantur, qui postea doctrina insignes fuerunt, quorum unus est *Gabr. Fallopius* [17]), anatomus postea peritissimus et medicus experientissimus, cum Pisis et Patavii medicinam plausu maximo doceret artemque suam felicissime exerceret, alter est *J. Car. Bovius*, postea Archiepiscopus Brundisinus, cuius nomen interpretatio latina Clementis Romani constitutionum apost. celebre fecit. Praeter hos aliosque, quos iam non novimus, certe aliorum hominum eruditorum Mutinensium dignitas et usus plurimum contulit ad incendendum adolescentis studium, ut summa spectaret, summa appeteret,

---

ut Mutinam multi exteri venirent. Deinde Mutina relicta a. 1545 abiit Ferrariam. Postremum docuit Patavii. Eius filius fuit *Aemilius Portus*, qui patri vix cessit doctrina. Uterque philologus est notissimus.

15) Eum *Romulum* quoque *Amasaeum* magistrum eo tempore habuisse multi nullo locupleti auctore narrant, quem nemo unquam Mutinae docuisse tradidit. Cf. de eo infra.

16) Is natus a. 1477 floruit aureo, ut ita dicam, saeculo renascentium litterarum sub Leone X, Pontifice Maximo, cum Petro Bembo ab aequalibus ob morum integritatem et doctrinam maximi aestimatus. Studio philosophiae adiunxit sacrarum litterarum studium. Mortuus est Romae 1547. Eius varia opera prodierunt primum Mogunt. 1607, 8. deinde multo auctiora, Veron. 1737. 3 Vol. 4. Epistolae eius nulli fere hodie cognitae ante omnes lectu dignissimae sunt. Vitam eius exposuit Nicero in Vitar. viror. clar. T. XXII. ed. german.

17) Indidem Mutina oriundus et eodem fortasse anno, quo Sigonius, natus fuit. Cf. de eo Niceronem libr. cit. T. V ed. germ., quo meliora certe dabunt, qui nuper vitas illustrium medicorum scripserunt.

in quibus praeter illum Jac. Sadoletum alius eius popularis nominandus est *Ludov. Castelvetrus*[18]), cum quo consuetudinem ac familiaritatem domesticam eum habuisse certum est. Nihil potest autem in animos adolescentium maiorem habere vim, quam frequens eruditorum hominum convictus, quorum sermo, dignitas et auctoritas eos incitat, inflammat, incendit et a voluptatum nugarumque variarum illecebris, quibus teneri necdum consilio ac ratione firmati adolescentium animi facillime capi ac deliniri possunt, removet ac coercet. Possumus sane ex eo recte facere coniecturam, quam sit emendatus adolescens, qui a doctis viris, qui a gravissimis senibus amatur. Optime Euripides: *Τοιοῦτός ἐστιν ἕκαστος, οἷςπερ ἥδεται ξυνών.*

Sed cum ille litteris latinis graecisque aliaque varia doctrinae scientia satis instructus videretur, anno 1540 aetatis sexto decimo a patre missus est Bononiam, in eam urbem, e qua, ut ait Sadoletus[19]), eruditio et optimarum artium disciplina in transalpinas nationes[20]) dimanasse creditur. In eo tum celeberrimo Italiae Gymnasio ad philosophiae artisque medicinae studium cum Gabr. Fallopio populari suo et condiscipulo studiosissime se contulit. Etenim ut

---

18) Natus is est Mutinae anno 1507 (1505), mortuus a. 1571. Academiam sive conventum eruditorum instituit in patria urbe eoque auctore magistri graecarum latinarumque litterarum arcessiti sunt. Incubuit potissimum in studia poësis et artis oratoriae. Praeter carmina italice scripta edidit interpretationem et expositionem Italicam artis poeticae Aristotelis. Alia opera critica postea demum a Muratorio edita et inscripta sunt: *Opere varie critiche inedite non più stampate, colla vita dell' autore scritta da L. A. Muratori.* Lione (Milano, Berna) 1727. 4. Acerrimus fuit et subtilissimus aliorum scriptorum iudex. Eius vitam vide in Niceronis libr. cit. T. X. p. 98 sqq. edit. germ.

19) Epistol. XVI, 3.

20) Intelligit Gallos, Helvetios, Germanos, Hispanos, Batavos, Britannos, Polonos. Omnes enim omnium nationum adolescentes litterarum studiosi ad gymnasium Bononiense illo tempore confluere consueverunt. De viris autem eruditis Bononiensibus conferendus est liber anonymi: *De claris archigymnasii Bononiensis professoribus a saeculo XI usque ad saeculum XIV* Bonon. 1769. 2 Tom. f. et *Pellegr. Anton. Orlandi* liber: *Notizie degli scrittori Bolognesi e dell' opere loro stampate e manoscritte.* In Bologna 1714. 4, cui postea pars secunda accessit: *Tavole chronologiche degl' Uomini illustri per lettere ed impieghi nudriti dell' universita di Bologna.* 1727. 4.

medendi artem filius postea exerceret, voluisse dicitur pater. Verum ibi non solum insignes tum philosophos medicosque audivit, sed etiam magistrum litterarum antiquarum clarissimum *Romulum Amasaeum*[21]), quem anno quidem 1540 Bononiae fuisse liquido docet epistola Sadoleti[22]), etsi alii tum Romae fuisse contendunt. Habuit illic Sigonius familiares non solum Gabrielem suum Fallopium, sed etiam virum venerabilem aetate maiorem *Hieron. Osorium*[23]) Lusitanum, qui postea compluribus libris latine optime scriptis maxime eminuit, et *Gabr. Palaeotum*, posthac Cardinalem amplissimum, quorum convictu et familiaritate studiosissime usus est. Neque enim licenter more aliorum adolescentium, qui, ut hodie, ita etiam tum annos academicos in lascivia et intemperantia consumebant, neque segniter ad desidiam, voluptates nugasque intempestivas tempus illud contulit. Nec vero dies solum, cum interiorum literarum cupidissimus esset, in studiis humanitatis, quae iam tum videtur medicinae arti praetulisse, assidue collocavit, sed noctes etiam, ut paucas modo horas dormivisse dicatur. Fama est non improbabilis ibi aliquando eum legentem ad lucernae lumen laboribus continuis fessum obdormivisse, lucernaeque ignem a nutantis capitis crinibus comprehensum esse: quo incendio eum expergefactum atramentario arrepto ignem exstinxisse. Scilicet, ut ait de Julio Agricola Tacitus, sublime et erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsae magnaeque gloriae vehementius, quam caute appetebat. Tres

---

21) Is fuit Utinensis. Vixit ab a. 1509—1518 Bononiae, ab a. 1519—1523 Patavii; iterum ab a. 1524—1542 aut 1543 Bononiae; ab a. 1543 aut secundum alios demum 1550 Romae, ubi certe quidem ante a. 1555 videtur mortuus esse. Eius filius *Pompilius Amasaeus* collega Sigonii fuit in gymnasio Bononiensi. Cf. infra ad a. 1563.

22) Epistol. XVI, 3. scripta IV Cal. Oct. 1540. Idem confirmat Alex. Caprara in elogio Sigonii. Temere igitur negat Muratorius.

23) *Osorius* (Lusit. *Osorio*) natus Olyssipone (Lisboae) a. 1506 sacrarum litterarum studiosus fuit, quarum studio adiunxit philosophiae studium. Factus est postea Episcopus Sylvensis. Mortuus est a. 1580. Varia scripsit oratione latina pura et eleganti, quae coniunctim edita sunt Romae 1592. 4 T. f. De eo ita Sigonius ipse: *Per biennium fere in eadem domo cum Hier. Osorio Lusitano familiarissime et coniunctissime vixi, quo viro neminem Hispania tulit aut eruditione praestantiorem, aut eloquentia clariorem, aut vitae innocentia sanctiorem.*

annos cum Bononiae egisset, anno 1542 Ticinum[24]) migravit, cuius urbis academia quondam celeberrima fuit, ubi clarissimum illius temporis philosophum, medicum eundemque graecis latinisque litteris eruditissimum Andream Camutium aliosque viros doctrina excellentes audivit. Unum ibi annum se commoratum esse dicit.

Studiis academicis ita feliciter absolutis eum annum agentem unum et vicesimum per Italiam iter fecisse verisimile est. In eo itinere Aquileiam aut Sanctum Vitum (S. Veit), oppidum Carinthiae, venit ad virum doctissimum Marinum Grimanum Cardinalem, Patriarcham Aquileiensem, cuius ut contubernalis fieret Sigonius, ille maxime exoptabat. Deo aliter visum! Anno enim 1545 extremo domum revocatus in locum Francisci Porti, qui Ferrariam, ut ibi litteras graecas doceret, arcessitus erat, a conservatoribus urbis suae patriae Professor graecarum litterarum creatus est. Exstant adhuc litterae et conservatorum urbis ad Grimanum Cardinalem, et Grimani ad Conservatores, cuius litterae a S. Vito datae sunt, utraeque italice scriptae, quae, quanta in gratia Cardinalis Sigonius fuerit, quantamque spem de eo Mutinenses habuerint, satis testantur. Nec eorum spem postea fefellit. Suscepit munus iniitque die XIX mensis Januarii 1546, cum annum alterum et vicesimum ageret[25]). Eum autem duobus ante annis aliquot orationes Philippicas Demosthenis natum annos viginti latine interpretatum[26]) esse non solum fama fert, sed etiam ipse se tale quid, sed sine suo nomine edidisse fatetur. Huius interpretationis exemplaria videntur omnia evanuisse, nec in Italia ipsa usquam potuit ullum ab Argelato, editore Sigonii operum, inveniri. Acriter eam impugnatam esse ab Antonio quodam Bendinello[27]), viro illo quidem ignobili,

24) Eadem est urbs, quae postea et hodie mutato nomine *Pavia* nominatur. Schola academica ibi iam anno 1370 instituta erat, quae aliquantum temporis valde frequentata est. Gloriam eius imminuerunt postea gymnasia Patavinum et Bononiense. Cf. de schola Ticinensi *Ant. Gatti Gymnasii Ticinensis historiam.* Mediol. 1704. 8, quae inserta est in P. II. T. IV Thesauri antiquit. Italic. a Graevio et Burmanno editi.

25) Id ipse testatur in Emendation. I, 5.

26) Vide quae infra in indice librorum Sigonii annotavi.

27) De eo omnes fere scriptores historiae doctorum virorum tacent. Fuit Lucensis ac natu maior Sigonio. Mutina relicta aut Lucae aut Florentiae docuit, in quarum altera utra sub

non tamen indocto, qui tum Mutinae litteras graecas et latinas docuisse dicitur, eadem fama fert, quae itidem narrat Sigonium nomine ficto Sauli Ronci confutationem censurae illius edidisse. Contra Sigonius eam a Bendinello reprehensam non esse asseverat nec se ait, quid hoc reprehensionis sit, nescire. Utut est, tanto is plausu et concursu multorum adolescentium auditus est, ut magnam sibi pareret gloriam. Nec id fugit senatores, qui ut veri civium salutis conservatores iam anno post initum munus mercede annua duplo aucta Sigonii animum incitare suaeque civitati conservare studebant. Quod factum est maxime gratia et intercessione complurium hominum et auctoritate et doctrina praestantium, in quibus Ludov. ille Castelvetrus eiusque frater Joannes praecipui fuerunt.

Jam tum vero historia Romana ei argumentum videtur fuisse magnum idque magnopere neglectum, in quod omne studium incumbere maximi interesse arbitraretur. Primo igitur singularem aliquam rem, *vitam* herois illius amplissimi Romanorum *P. Cornelii Scipionis Aemiliani* exponendam elegit, quales vitas virtute excellentium complures alii ante eum scribere tentaverant, corrasis plerumque sine iudicio omnibus, quae in historicorum libris sparsa invenerant. Quod consilium Sigonii cum audivisset aemulus ille eius Anton. Bendinellus, eandem rem subito arripuit, tractavit et Florentiae anno 1549 edidit [28]). Sigonius utrum opus suum inchoatum nunc quidem reliquerit, quod censet

a. 1575 videtur mortuus esse. Praeter *vitam Scipionis*, cuius mox mentio fiet, nihil videtur scripsisse. — De re ipsa cf. Sigonii Disputatt. Patav. p. 321. ed. Mediol.

28) Liber inscriptus est: *P. Cornelii Scipionis Aemiliani Africani minoris vita, vel eius dispersae potius reliquiae ex multis probatissimor. authorum scriptis collectae ab Ant. Bendinellio. Additi praeterea sunt quidam loci controversi, quorum partim omnino refelluntur, alii corriguntur, quidam etiam conciliantur.* Florent. 1549. 8. Alii addunt Mutinae 1549. 8. Iterum edita cum *Car. Sigonii erratis* Lucae 1568. 4. Cf. Bibl. Nic. Heinsii P. II. p. 13. Quartam editionem reperi vulgatam cura et studio Isidori Bianchi. Havn. 1776. 8. (95 pagg.) Cf. C. Beieri edit. Cicer. Laelii p. 201 et Judicem libror. F. A. Wolfii. p. 89 nr. 710. Nec tacuit iste, cum Sigonius anno 1569 suam Scipionis vitam edidisset: reperio enim librum, cui titulus: *Alia Sigonii errata* Lucae 1570. 4. Cf. Nic. Heinsii Biblioth. P. II. p. 13 nr. 149. Adde quae in annotat. 44 infra apposui. Ceterum *loci illi controversi* iidem sunt, qui in T. II Gruteri facis criticae nomine: *Locorum historicor. annotatio Bendinelli* reperiuntur.

Muratorius, an sane brevi post ediderit, diiudicare nequeo[29]). Utut est, mox ampliorem campum doctrinae et assiduitati eius aperuerunt fragmenta tabularum tum reperta, in quibus fasti veteres consulares incisi erant. Prodierat enim tum liber[30]) Romae impressus Kal. Jan. 1549. 8, editus a Barthol. Marliano, ita inscriptus: *Consulum, Dictatorum Censorumque Romanorum series una cum ipsorum triumphis, quae marmoribus scalpta in foro reperta est atque in Capitolium translata.* — Haec tabularum fragmenta quanti momenti essent ad historiam Romanam illustrandam, quantaque inde percipi posset utilitas, vidit Sigonius. Sed proh dolor! tabulae repertae valde fuerunt lacerae, lacunosae, non integrae, quas ex aliis supplere et in integrum quasi restituere opus erat perquam difficile. Hoc opus suscepit Sigonius iuvenili ardore. Edidit enim librum sic inscriptum: *Fasti consulares ac triumphi acti a Romulo rege usque ad Tiberium Caesarem suppleti a Car. Sigonio.* Mutinae 1550. f.[31]) Ex tertia huius libri editione anni 1556, cui commentarium fastos illos diligenter ac copiose illustrantem addiderat, postea cum iam Venetias abisset, acerrima inter eum et Franc. Robortellum[32]), Professorem Pata-

29) Muratorius Sigonium librum tunc non edidisse censet, sed demum a. 1569. Verum tamen Sigonius ipse in disputatt. Patavii a. 1562 habitis (p. 321 ed. Mediol.) se non negat tum talem librum edidisse; tantum id negat se historiam a Bendinello sumpsisse, quod ei Robortellus calumnians obiecerat, et id cuique utrumque librum comparanti manifestum futurum. Cuius autem anni et loci prima fuerit editio nescio, nec usquam eam commemoratam inveni. Epistola autem ad Joachimum Fridericum Marchionem Brandenb. scripta, quae editioni anni 1569 praemissa est, non potest esse scripta sub annum 1550, cum Marchio ille, qui Sigonii auditor Bononiae fuit, eodem anno 1550 natus sit. Ex hoc igitur labyrintho filum Ariadneum invenire non possum.

30) Hic libellus ex 82 paginis constans in rarissimis libris numeratur. Earundem tabularum nova fragmenta postea reperta edidit J. Bapt. Piranesi Romae 1762. f. alia Barth. Borghesi Milan. 1818. 2 P. 4. et Car. Fea. Rom. 1820. f., quorum librorum titulos reperies in *Fr. Creuzeri*, viri illustris, *Römische Alterthümer.* Omnia adhuc reperta fragmenta coniunctim nuper edidit J. B. M. *Laurent* in libro: *Fasti consulares Capitolini.* Altonae 1833. 8.

31) Errat Drakenborchius, qui in praefat. Livii p. XLI ed. Lugd. B. (p. LXX. ed. Stuttg.) huic primae editioni commentarium iam additum fuisse ait, qui tertiae editioni primum additus est.

32) Hunc adversarium Sigonii iam aliquoties nominavi; quare plura de eo addam. Natus est Utini a. 1516. Primum docere coepit Pisis a. 1548. Inde ob causam capitalem Venetias

vinum, controversia exorta est. Huc accedebat alius liber Sigonii *de nominibus Romanorum*, quem Mutinae 1553 ediderat, quo libro, cum Robortellus eadem de re libellum scripsisset, bilem eius maxime movit, cum in multis rebus ab eo dissentiret. Sed antequam haec est orta controversia, duobus annis post editos Fastos Senatus Venetus Sigonium in locum istius Robortelli[33]), Professorem eloquentiae et graecae latinaeque linguae elegit, cum Robortellum ad gymnasium Patavinum transposuisset. Senatusconsultum honorificum, quo Venetias vocatus est, Muratorius in vita Sigonii cum lectoribus communicavit[34]). Provinciam illam Venetam multo Mutinensi ampliorem non invitus accepit annum agens undetricesimum, eamque iniit initio mensis Novembris anni 1552. Benigne ab auditoribus exceptus est, et in dies plures, qui eum audirent, Venetias confluxerunt, nec ipse eorum exspectationi nequaquam respondit. Qua de causa novo senatusconsulto iam primo mense pro-

---

abiit, ubi in locum J. B. Egnatii Professor electus usque ad a. 1552 docuit; ab a. 1552 — 1559 Patavii in locum Lazari Bonamici; a. 1560 Bononiae in locum Seb. Corradi, unde iam anno post Patavium rediit, ubi a. d. XV Kal. Apr. 1567 mortuus est. Cf. de eo Ant. Riccobonum de gymnasio Patavino I, 16 (in Graevii Thes. antiq. Ital. VI, 4. p. 33.). Homo fuit non indoctus, sed rixarum contentionisque amantissimus, summa in victu intemperantia, rusticis et barbaris moribus ac singulari arrogantia, quem ait Graevius (in praefat. T. I Thesauri antiq. Rom.) perpetua in omnes suae superiorisque memoriae homines eruditos malevolentia suffusum et canina quadam efferatum cunctos allatrandi rabie nulli pepercisse, ac se longe doctiores indignis modis quovis Zoilo mordaciorem esse insectatum. Jocose eum ait Muretus in Epist. ad Manutium data (Oper. T. I. p. 419. ed Ruhnk. T. II. p. 41 ed. Frotsch.) in *Polyphemi* locum successisse, cui grandi mole corporis, crasso capite, torvo vultu ferisque moribus similem fuisse dicunt.

33) Non ut alii scribunt *Jo. Bapt. Egnatii*, qui vir doctissimus cum Venetiis annos quadraginta magna cum laude docuisset suaque sponte munere abdicavisset, ei successit Robortellus. Senatus grato animo merita eius remunerans ei mercedem suam annuam integram concessit. Tum in otio litterato vixit aliquot annos diemque suum obiit octogenarius. Errant igitur Thuanus, Clarmundus, alii plures, qui Sigonium ei successisse scriberent, cui successerat Robortellus.

34) Repetiit ex Sigonii Disputatt. Patav. p. 312 ed. Mediol., ubi se magno omnium consensu nullo refragante electum esse ait Sigonius.

ximi anni, cum vix duo menses docuisset, annua eius merces, quam hodie salarium appellamus, ad ducenos vicenos ducatos crevit. In hoc autem ampliore loco, quo collocatus erat, non solum auditoribus prodesse, sed sui etiam nominis gloriam scriptis amplificare voluit. Ad maiora enim cum novum munus vocabat. Scripsit igitur primum anno sequenti 1553, ut supra dixi, librum *de nominibus Romanorum*; deinde omne studium in *Livio eiusque chronologia fastisque illis consularibus* emendandis commentarioque illustrandis collocavit, cum utrumque argumentum arctissime connexum esset et alterum alterius ope indigeret. Nec diu spem virorum doctorum fefellit, cum iam duobus annis post uterque liber ardenter exspectatus Venetiis prodiit. Amplissima autem gloria, quam sibi his libris apud viros doctos[35]) peperit, magnusque plausus, quo eum in dies magis auditores excipiebant, bilem et invidiam illius Robortelli, cui successerat, quique omnibus invisus Venetiis abierat, vehementissime movit, cum homo iste esset litigiosissimus. Etenim etsi nullo horum librorum loco a Sigonio nominatim reprehensus erat, tamen contra eum scripsit librum atrocem plenumque contumeliarum, cuius haec est inscriptio: *Franc. Robortelli de convenientia supputationis Livianae annorum cum marmoribus Romanis, quae in Capitolio sunt. Eiusdem de arte sive ratione corrigendi veteres authores disputatio. Eiusd. Emendationum* l. 2. Patavii 1557 f. — In eo libro primum totam Sigonianam chronologiam destruere conatur; deinde docere studet, quam parum Sigonius veteres auctores emendare sciat, omnia denique fere eius in Livium scholia refutare ac refellere audet, idque more suo feroci, petulanti et arroganti, quo adhuc alios, ut Alciatum, J. Bapt. Egnatium, Erasmum, Manutium, Muretum, Henr. Stephanum, magnos omnes et doctissimos viros vexare suasque virtutes ebullire ausus erat; nam probris ac maledictis contumeliosissimis vexat eum et insectatur. Idem alium virum doctum Henr. Loritum Glareanum, editorem Livii, cuius chro-

---

35) In quibus fuerunt homines eo tempore doctissimi Paul. Manutius et Onuphr. Panvinius, cum quibus coniunctissime vixit et familiarissime, qui cum multis summi eius fuerunt praecones. Cf. infra annotat. 60.

nologiam leniter refutaverat Sigonius, ut pariter in eum inveheretur[36]), instigavit. Sigonius ita ab utroque maligne correptus, etsi lenissimo mitissimoque erat animo, nequaquam tamen potuit ac voluit tacere, ne tacendo omnia concedere videretur. Subitario igitur quodam impetu eodem anno intra paucos menses *Emendationum libros duos adversus Robortellum* scripsit, quibus omnes adversarii libros acerbe exagitare, et critici illius magni, qui sibi iste esse videbatur et inani et arroganti de se persuasione, occaecatus suique amore captus se eum esse praedicabat, gloriam nomenque interpretis veterum excellentis subvertere conatus est. Ibidem respondit etiam epistolae Glareani contra se scriptae. Quid consecutum est? Tacuit et obmutuit Robortellus.

Interim Robortellus iste Patavio relicto anno 1558 Bononiam abierat; quo facto duobus post annis Senatus Venetus in istius locum Sigonium transposuit ad gymnasium Patavinum, quo tum non solum plerique Itali, sed multi etiam exteri litterarum causa convenire solebant[37]). Sigonius iniit munus orationem habens a. d. VIII Idus Novembr. anni 1560. Vix cum huc venisset, praeter orationes septem Venetiis habitas novum opus Venetiis eodem anno prodiit, quod iam ibidem, cum esset, conscripserat, duo libri *de antiquo iure civium Romanorum* et alii tres *de antiquo iure Italiae* separatis voluminibus, quibus denique septem annis post duo alios adiunxit libros *de antiquo iure provinciarum*. Quod opus amplum totam imperii Romani formam complectens summam ei diligentissimi antiquarum rerum investigatoris laudem paravit.

---

36) Eius epistolam ad Jo. Hervagium, qua continetur apologia adversus Car. Sigonii maledicta in ipsum et iudicium de illius doctrina et emendationibus Livianis — idem iste homo procax Robortellus Patavii 1557. f. ediderat. Reperitur ea in Drakenborchii editione Livii.

37) De gymnasio Patavino copiose et diligenter egerunt Anton. Riccobonus in Commentariorum de gymnasio Patavino L. VI. Patav. 1598. 4, qui inserti sunt in Graevii Thesauri antiq. Ital. T. VI P. IV, Jac. Ph. Tomasinus in libro: Gymnasium Patavinum. Utini 1654. 4, Nicol. Comnenus Papadopuli in Historia gymnasii Patavini cum auctario de claris tum professoribus tum alumnis eiusdem. Venetiis 1726. 2 Vol. f. Optime de eo egisse dicitur Jac. Facciolatus in Fastis gymnasii Patavini collectis ab a. 1509. Patav. 1757. 2 Tom.) secundum alios. 3 Tom.). 4. His addantur Eiusdem Syntagmata XII de gymnasio Patav. 1752. 8.

Palmam enim ea in re omnes intelligentes earum rerum existimatores ac iudices ei tribuunt, nec quemquam fuisse censent, qui de administratione totius rei publicae Romanae diligentius et accuratius scripserit. In quo magno copiosoque argumento si in parvis singulis rebus erraverit, quis est, qui id non humanum esse censeat? Etiam nunc ii libri ab omnibus pervolutandi erunt, qui eam rem diligenter tractatam legere ac discere volent. Nec igitur mirum, quid de Sigonii summa antiquitatis scientia is iudicarit, quo tum nemo ea de re melius iudicare potuit, *Onuphrius Panvinius*; qui cum ante hos editos libros similem de imperio Romano anno 1558 ederet, ibi p. 444 haec adiecit: «*Post Anton. Augustinum Car. Sigonius Mutinensis maxima mihi adiumenta administravit; hunc enim unum ut ingenio singulari et in tota Romana antiquitate scientia ac iudicio prope incredibili praeditum, sic eximia humanitate ornatum ex iis, qui non Romae habitent, esse cognovi* etc. — Qua laudatione tanti viri quid maius potuit esse, quid amplius? — Eodem anno 1560 cum Franc. Robortellus Bononiae litteras antiquas doceret, Sigonius autem Patavium iter faciens Bononiam venisset, *Hieronymus Seripandus* Cardinalis, vir amplissimus, quem salutaverat, Robortello Sigonium et Manutium, in quem iste non minus quam in alterum in libris suis acerbe invectus erat, reconciliare studuit, ne viri illi doctissimi Italiae eiusque terrae quasi lumina inter se adversarentur. Vocavit igitur utrumque Robortellum et Sigonium ad coenam. Quod voluit, successit. Redierunt in gratiam. Tum vero sane non iniucundum foret videre istius fictos simulatosque vultus, qui totus erat ex odio et malitia factus. Sigonius otii pacisque amans laetissimo animo Patavium discessit ac statim litteris Manutium de reditu isto suo in gratiam certiorem fecit. Nec cunctatus est uterque — Manutii enim, ut Sigonii, animus ab omni contentione vehementer abhorrebat mitique et leni erat natura — ad Robortellum amantissimas humanissimasque litteras[38]) scribere, quarum tamen neutri iste respondit. Ficta igitur ac duntaxat ad tempus apta ac simulata ista fuit Robortelli amicitia, quod uterque certe animo auguratus est. Augurium non

38) Cf. Sigonii disputatt. Patav. p. 255 ed. Mediol., ubi eius epistolam, quam isti homini scripsit, invenies. Itidem Manutii epistola legitur in eius epistol. V, 27.

fefellit. Fata enim Robortellum anno post, quam Sigonius munus Professoris Patavini inierat, a Bononia rursus Patavium retraxerunt, ut ibi antiquas litteras coniunctim cum philosophia morali doceret. Vixdum advena munus inierat, cum, ut maius auditorium, quo Sigonius ad id tempus utebatur, sibi concederetur, postulavit; non enim homo iste a se deficere potuit. Litem de ea re inter utrumque ortam curatores gymnasii tandem secundum Sigonium diremerunt. Pax facta non diuturna fuit. Ex acri enim invidia gloriae et ex odio inveterato adversus Sigonium anno proximo 1562 exarsit nova et multo vehementior inter utrumque certatio, cum Sigonius praeclarum librum *de dialogo* scripsisset. Qui ut vix prodiit, idem iste Robortellus, ut erat furiosus suoque more sine ulla verecundia ignominiose de aliis iudicare solebat, nec ipsis collegis suis parcebat ac praesertim in collegam Sigonium invehebatur coramque auditoribus maledicta et probra iaciebat, nulla alia de causa, nisi ut se ante ceteros omnes extolleret, aliorumque famam et gloriam obscuraret, imminueret et subverteret: vix igitur ut is liber prodiit, iste foribus scholarum Patavinarum Idibus Februariis schedas affixit, in quibus inter alia pollicitus est, primum: *Franc. Robortellus*, (utar eius ipsius verbis) *linguae latinae rationem novo quodam modo se traditurum pollicetur auditoribus suis, ut facile ac cito latine loquendi certam normam*[39]) *cognoscant; nam verissimum illud est: Is qui cito non discit, numquam discit. Quare oratos omnes vult, ut se ad tam praeclaram disciplinam percipiendam parent attenteque audiant. Sed non ante id efficiet, quam locos topicos, qui octodecim sunt, ex praescripto Ciceronis tum in libris de oratore, tum in Topicis et Partitionibus exposuerit. An vero publice etiam extra ordinem tradi haec disciplina debeat, an privatim, deliberabimus postea. Valete nobilissimi ac lectissimi adolescentes, amateque Robortellum vestrum, qui dies*[40]) *noctesque nihil aliud cogitat,*

---

39) Magna et difficilia pollicetur, cuiusmodi hodie quoque nonnulli polliciti sunt; verum non nemini Horatianum illud in mentem veniet: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*

40) Qualia sui praeconia etiam hodie nonnumquam a magistris et academicis et scholasticis audita sunt, ut nomen suum famamque paululum labefactatam stabilirent. Quam arroganter autem et insolenter illa omnia verba Robortelli dicta sint, nemo non videt. Istas autem

quam ut aliqua ratione vobis prodesse possit. Patav. Idib. Febr. MDLXII. — Altera scheda haec fuit: *Fr. Robort., qui ex praescripto Cic. II de orat. locos topicos explicavit, hodie, ut pareat edicto Gymnasiarcharum incipiet explicare librum I de oratore et primum prooemium ipsum; mox de dialogo disseret longe secus ac inepti et indocti*[41] *quidam, quos refellere non erit alienum a re, ut discant posthac cautius scribere.* — Perspicax Sigonius intelligens se ineptum illum et indoctum quendam esse, qui velleretur, graviter et libere ei respondit. Etsi enim ipse procul ab omni aemulatione adversus collegas erat, nec quisquam ipso a iurgiis remotior, et natura et voluntate et instituta ratione vitae, tamen a collega atteri sordidum arbitrabatur, si quidem verum est nec fortem nec ingenuum pati posse contumeliam. Num ergo tacita esse potuit haec eius indignitas? quantumvis ipsi persuasum esset eum sibi videri amplissimum, qui sua virtute in altiorem locum pervenisset, non qui adscendisset per alterius incommodum et calamitatem. Falso vero accusari et malevole vexari non putabat esse negligendum. Scripsit ergo libros duo *Patavinarum disputationum*, quibus non leniter nec benevole, ut antea, sed eodem fere maledico ac probroso modo, quo Robortellus usus erat, non solum collegae impudentissimi doctrinam nullam esse ostendit, sed quod nemo improbabit, utpote cui pro aris ac focis, ut dicitur, disputandum esset, quaecunque iste rabiosus homo de ipsius ignobili genere, externo corporis habitu,

---

cum iste homo schedas per omnia Patavii compita circulatorum more affigi iussisset, omnes riferunt; nemo nomen suum, qui hanc ab illo disciplinam flagitaret, professus esse dicitur. Nimirum merito deridebatur gravis illa atque intolerabilis arrogantia.

41) Nemiuem his verbis pungere voluisse potuit, nisi Sigonium, qui nuper *de dialogo* librum ediderat. Facinus sane audax et insolens, qui illum posthac cautius scribere docere vellet eumque ad scholas suas de dialogo audiendas invitaret! — Ceterum istae, quae a nobis narrantur, utriusque concertationes nihil spectabant aliud, nisi ut alter alterius lumen gloriae obscurare vellet. Indignum certe facinus, qualia dedecent omnes, qui humanitatem se docere profitentur, praesertim si de lana caprina, ut aiunt, rixantur aut de argumento aliquo, cuius iudicium semper erit diversum, dubium et ambiguum. Horret semper animus, cum similium rixarum doctorum virorum nostrae memoriae meminerit, qui ab inhumanitate potius, quam ab humanitate auxilium petiverint defensionis sui.

submissa voce, ingenio, moribus et in quae alia invectus erat, graviter ac fortiter refutat ac refellit omnia, nec iis satis habens, quicquid improbi, scelesti, flagitiosi ac nefarii de Robortello vere dici poterat, id iam omne libere ac sine ulla verborum moderatione aperit ac detegit [42]) Primus liber harum disputationum dignissimus est, qui ab eruditis adolescentibus legatur, cum ex eo acutissimum eius iudicium in refellendis Robortélli opinionibus de variis antiquitatis rebus cognoscatur.

Nec tamen unquam Sigonius, quamdiu ille sibi collega esset nec in scholis publicis coram auditoribus voces improbas orisque maledici contumelias in ipsum iacere desineret, pacis otiique amans sperare poterat, quiete se et tranquille victurum, praesertim cum utriusque discipuli sive auditores, qui Robortelliani et Sigoniani nominabantur, partes facerent et inter se congrederentur, quorum illi ad tantam amentiam ac furorem processerunt, ut Rhodiginus [43]) quidam Sigonium ipsum in via aggrederetur ac vulneraret. Quapropter consilium cepit munere se abdicandi et Bononiam abeundi, praesertim cum a Bononiensibus, ut ad se veniret, invitatus esse videatur. Urbem igitur sibi invisam reliquit auctumno anni sequentis 1563, saltem non ante mensem [44]) Quintilem, Bononiamque profectus est. Laeti eum et quasi ambabus manibus Bononienses exceperunt, etsi apud eos *Pompilius Amasaeus*, Romuli, quem supra memoravi, filius, litteras antiquas docebat, homo non indisertus et graece doctissimus. Curatores gymnasii Sigonio duplo maiorem mercedem annuam, quam Patavii habuerat, concesserunt. Orationem aditialem *de ingenio excolendo et de laudibus Bononiae* a. d. VIII Idus Novembres habuit.

---

42) Quid alter ei opposuerit, nescio. Certe nova maledicta continent *Ephemerides Patavinae* adversus Sigonii triduanas disputationes. Patav. 1562. 4, quae commemorantur in Biblioth. Anonymiana. Hag. Com. 1728. P. II. p. 202.

43) Non videtur hoc nomen fuisse proprium, sed gentile alicuius hominis, qui ex urbe Rovinio, vulgo Rovigno oriundus erat.

44) Epistolam enim Henr. Stephano scripsit Patavii Kalendis Quintilibus 1563, in qua se a Bononiensibus honestis praemiis in Academiam suam accitum esse commemorat. Ea epistola non reperitur in Operibus Sigonii ab Argelato editis, sed latet in Goldasti centuria una philologicarum epistolarum p. 258.

Jam reviviscere coepit otioque litterato, ut consueverat, assidue fruebatur, et cum homo prudentissimus rectum honestumque putaret, non amplius se litem miscere, nihil laborabat, quid adversarius Patavii publice privatimque adversus se moliretur, quid scriberet, quid loqueretur, quantaque debacchandi petulantia virus suum evomere pergeret. Quare ut antea Romanorum rem publicam luce doctrinae suae illustrarat, ita iam nunc animum ad rem publicam Atheniensium et ad tempora eorundem et Lacedaemoniorum advertit, ita tamen ut certe duntaxat in usum scholarum suarum potiora modo in utroque libro amplecteretur. Sed sic etiam in hoc argumento viris doctis, qui easdem res denuo postea tractabant, Meursio, Heraldo, Salmasio, Pighio, ceteris omnibus stravit viam. Cf. infra annotat. 59.

Sed cum Sigonius in illis, quos supra commemoravi, libris *de antiquo iure civium Roman. a Nicol. Gruchio* [45]), viro docto Parisino, qui librum non contemnendum *de comitiis Romanorum* Lutetiae a. 1555, iterum Venetiis 1558 (1559), ediderat, in duabus rebus dissensisset, ille demum anno 1565 *Responsionem ad binas reprehensiones Sigonii de binis comitiis et lege curiata* scripsit, cui eodem anno Sigonius libellum opposuit, suamque sententiam accurate defendit. Cum uterque utrumque magni faceret, lis acta est honeste, et suam quisque causam sine ira neque ulla animi commotione dixit. Nihil interest libros commemorare, qui ab utroque de eo argumento in utramque partem scripti sunt. Ea autem res Sigonium admonuit, ut opus illud suum de re publica Romana tum nondum ad finem perductum duobus libris *de antiquo iure provinciarum* absolveret, quos anno sequenti 1567 edidit.

Cum anno 1568 Anton. ille Bendinellus *vitam Scipionis* denuo Lucae edidisset, item Sigonius anno 1569 suum librum *de vita et rebus gestis P. Cornelii Scipionis* aut primum aut iterum edidisse dicitur [46]). De qua re viros

45) Docuit is Parisiis et Burdigalae; mortuus est Rupellae a. 1572, de quo plura vide in Scaevolae Sammarthani elogiis Gallorum p. 95 sqq. ed. Isenac., de eius autem et Sigonii mutuis libris cf. Freytagii apparatum litter. T. III. p. 305.

46) Eo autem anno aemulus eius Ant. Bendinellus, qui ei adolescenti argumentum illud praeripuerat, nondum videtur fuisse mortuus, si quidem verum est eum Lucae 1570 libellum

doctos dissentire iam supra dixi. Librum si retractavit tunc, certe ampliore doctrina multoque acriore iudicio praeditus multo eum emendatiorem politioremque edidit novaque epistola, ut ita dicam, dedicatoria ad Marchionem Brandenburgensem missa auxit. Nec ita multo post libris de iure civium Romanorum, Italiae et provinciarum extremam manum imposuit, tres libros novos *de Romanae iurisprudentiae iudiciis* addidit, reliquos omnes diligenter recognovit, emendavit et auxit; duobus etiam illis de iure provinciarum tertium addidit, quo de controverso illo loco *de lege curiata* denuo accurate egit. Coniunctim autem omnes eos libros anno 1574 edidit.

Sed antequam eos ederet, non videtur per quatuor superiores annos 1570 — 1573 otiose vixisse, sed in alio novo argumento fuisse occupatus. Incitatus certe a viris doctis, qui, quanta eius esset scientia historiae Romanae, quam acre eius omnia perscrutandi studium, quantisque tenebris serior Italiae historia involuta esset, sciebant, eas quoque tenebras, quantum posset, dispellere, et *historiam regni Italiae* ab anno 570 usque ad recentiora tempora diligenter, copiose et dilucide enarrare statuit. Quod consilium quo meliore successu certius ac diligentius exsequeretur, tabularia publica urbium Italicarum, monasteriorum aediumque sacrarum, ut diligentem religiosumque historicum decet, perscrutatus est, et quaecunque ipsi memorabilia relatuque digna videbantur, conquisivit et descripsit; itemque amicos, quos omnibus fere locis Italiae plurimos habuit, ut, quod suo operi usui esse posset, in suum usum describerent, rogavit. Ita magno librorum editorum et ineditorum apparatu instructus primum libros quindecim *de regno Italiae*, qui historiam ab anno

---

edidisse, cui fuerit titulus: *Alia Sigonii errata*, quem quondam possedit Nic. Heinsius. Cf. Heinsii Bibliothecae P. II. p. 13 nr. 149. Qua in re si erraverim, me a bibliographis doceri cupio, qui nesciam, quid ille libellus continuerit. Accedit, quod in biblioth. Pinelliana p. 313 alius liber profertur sic inscriptus: *Quae inter Bendinellum et Car. Sigonium non conveniant in libro de vita et rebus gestis Scipionis Aemiliani et alia Sigonii errata a Bendinello patefacta.* Lucae 1569. 4. Ib. 1570. 4. Eundem librum protulit Meuselius in Bibl. historica. Vol. IV. P. I. p. 257, qui illum Doctorem litterarum Borgi in terra Lucensi fuisse et anno 575 mortuum esse tradit, et conferri iubet Mazzuchelli Scrittori d' Italia Vol. II. P. II. p. 799 sqq.

570 usque ad a. 1200 complectuntur, Venetiis a. 1574 edidit. Deinde tribus annis post simile aliud opus prodiit, *Historiarum de occidentali imperio* libri viginti, quibus historiae ab a. 284 usque ad a. 575 enarrantur. In utroque autem libro scribendo quam fuerit religiosus, diligens veritatisque amans, ea maxime res ostendit, quod Veneti censores in illis libris de regno Italiae complura, quae suae civitati non esse gloriae viderentur, reperisse, et quae sibi offensioni esset, typis exprimi vetuisse dicuntur. Tandem paucis, quae molestissima fuerunt, recisis libri impressi sunt. Verum tamen nonnulli fortasse vere censent, Sigonium nonnumquam non sine studio partium Italicarum, praesertim Romanarum historiam tradidisse, aliarum exterarum gentium laudi obtrectasse nimioque plus Pontificibus Maximis Romanis concessisse. Eos autem omnes historiarum libros universi plausus eruditorum hominum cuiuscumque studiorum generis exceperunt. Ad Sigonium tanquam ad fidum, verum et diligentem auctorem non solum Itali provocant, verum etiam viri docti reliquarum nationum, in eoque insistunt ac nituntur, tamquam in maxima gravissimaque auctoritate. Huc accedebat iucunda librorum lectio, quae oratione eleganti, nitida vividisque coloribus inducta ac distincta eruditos omnes facile alliciebat.

His libris omnibus, quos adhuc enumeravi, tanta ab eo laus et gloria inter viros doctos parta est, ut in principes eruditorum referretur paucisque doctrinae maximae gloria cederet. Hinc factum est, ut anno 1578 Stephanus Bathoreus, rex Poloniae, cum academiam novam, quam Cracoviae instituere parabat, extollere et amplificare vellet, magnis praemiis propositis viros doctissimos in Poloniam invitaret, in quibus erant *Muretus*, *Sigonius* et *Fulvius Ursinus*[47]), quorum tamen nemo barbaram illam, asperam incultamque Poloniam et immite illius coelum cum Italia sua erudita et culta mitique coelo mutare voluit.

---

47) De ea re cf. Mureti epist. ad Sacratum L. I. ep. 66, (Oper. T. I. p. 489 ed. Ruhnk. T. II. p. 101 ed. Frotsch.) ubi narrat a Stephano, rege Poloniae, Zamoscio Cancellario suo factam esse potestatem optimum quemque et in docendo exercitatissimum, qui Cracoviam veniret, deligendi, de tribus nominatim perscriptum esse, *de se*, *de Car. Sigonio* et *de Fulv. Ursino*.

Interim impiger Sigonius, cum ei urbs Bononia iam inde a prima adolescentia cara et dilecta facta esset, huius quoque urbis historiam et civilem et ecclesiasticam et scholasticam separatim scripturus erat, in quibus libris scribendis usque ad mortem elaboravit, quorum editionem mors praeripuit, ut denique post mortem triplex illud opus prodierit. Gregorius autem XIII Pontifex Maximus cum libros illos historicos magna cum voluptate legisset et Sigonium de episcopis quoque Bononiensibus scripturum esse audisset, universam ecclesiae christianae historiam, qua tum carebant, a Sigonio scriptam quam maxime exoptavit, praesertim cum Onuphr. Panvinius id recusasset. Neque id mandatum honorificentissimum Sigonius videtur recusasse; in ea enim scribenda eum occupatum fuisse satis declarant initia eius historiae a primo anno Christi nati usque ad a. 311, quae post eius mortem in libris ipsius manu scriptis reperta in bibliothecam Vaticanam posthac translata ac demum ab Argelato primum edita sunt. — In eam autem rem Sigonio ante omnia utile ac necesse videbatur esse libros duo *sacrae historiae Sulpicii Severi* edere et fusius explicare, quos cum commentario paulo post a. 1581 edidit. Eum librum sequebantur tanquam prooemia necessaria sacrae historiae libri septem *de re publica Ebraeorum*, quam non minus docte ac diligenter exposuit, quam rem publicam Romanorum et Atheniensium, quamquam eum non satis gnarum ebraicae linguae fuisse queritur Jo. Seldenus Britannus.

Ita Sigonius Bononiae in sua studia unice incumbens et ab omnibus, qui veram doctrinam, humanitatem animique integritatem magni faciebant, observatus, cultus et dilectus per multos annos laetus vixit. Noluit tamen fatum, ut annum 1583 non sine animi molestia ac taedio viveret. Eius incommodi causam liber dedit, qui eo anno Venetiis prodiit ita inscriptus: *Ciceronis consolatio sive de luctu minuendo liber. Cura Francisci Vianelli*[48]). Quem librum Ciceronianum titulus prae se ferebat, is iamdudum magnopere a viris doctis erat desideratus, nec, si verus fuisset, magna ab omnibus exceptus non fuisset laetitia. Verum ex quo codice manuscripto et ubi iste codex esset, ab

---

48) Is homo qui fuerit, nescimus. Eius tamen mentionem non indignam fecit Manutius in Epist. V, 13, ubi eum nominat *omnium modestissimum et ingeniosissimum adolescentem.*

editore non erat dictum, unde ulla fieri posset conjectura, verusne et genuinus esset liber, an falsus et fictus. In diversas igitur partes abierunt viri docti, alii verum, falsum alii librum esse iudicantes. Sigonius certe nimis propera laetitia de libro reperto perfusus necdum re in utramque partem diligenter more suo perpensa privatim et in scholis patrocinium libri suscepit verumque esse et genuinum librum censuit; contra Riccobonus[49]) discipulis quondam Sigonii, Professor gymnasii Patavini, vir doctissimus, Ciceronis eum esse negavit. Pertinax uterque fuit in tenenda sua sententia, nec eam alteruter retractare voluit: qua re ab iis in utramque partem libelli adversarii scripti sunt. Sane plerique viri a Riccoboni partibus stabant, quod Sigonio perquam molestum et iniucundum fuit. Ipse habuit duas orationes pro eo libro, quas imprimendas curavit, aliumque item libellum nomine: *Accusator sive dialogus pro Ciceronis libro de consolatione* manu sua scriptum reliquit, qui demum post ejus mortem editus est. Sigonius autem cum in defendenda genuinitate libri tam pertinax esset, quid mirum est, quod apud viros doctos in suspicionem inciderit, eum ipsum auctorem fuisse libri virosque doctos voluisse fallere? Quae suspicio fraudis falsique, cuius eum multi temere insimulant, ab eius natura et moribus prorsus aliena fuit, cum alios fallere ac decipere non sit hominis, qualis Sigonius fuit, hominis veritatis amantissimi ab iocisque et ludis plane abhorrentis. Praeterea naturae eius proprium et quasi ingeneratum erat in sententia perseverare. Credamus potius ipsius verbis, qui cum a familiarissimo suo Anton. Giganto interrogatus esset, ipsene esset libri auctor, id perseveranter ac praecise negavit; nec praeterea quidquam in reliquiis manu eius scriptis post mortem repertum est, ex quo talis fraus ad suspicionem adduci posset. Hodie certe nemo est, qui non Riccobono assentiatur. Fabula autem ridicula est, quam multi decantarunt, eum maerore, quod Cicero personatus, quem agere vellet, falsus fictusque habitus personam suam tam male egerit, mortuum esse.

---

49) Is edidit: *Iudicium de consolatione edita sub nomine Ciceronis.* Vicet. 1584, et *Judicium secundum.* Ibid. eod. 4. (Cf. Bibl. N. Heinsii. P. II. p. 19 nr. 236. 237.)

et sinceris, nullo externae comitatis fuco, nullo fastu, nulla arrogantia inanique verborum iactatione, sed vere humanum et in omnes liberalem, simplicem et communem magisque ad severitatem gravitatemque promptum, ut severitatem tamen comitatemque misceret, quam ad intemperantem quandam hilaritatem. Quapropter omnibus modis coetus varios mixtosque vitabat, temperantissimus erat in victu cultuque et vitam vivebat magis solitariam, utpote cui otiosa solitudine, quo magis in litteras incumbere posset, nihil antiquius esset suumque putaret esse illud *Λάθε βιώσας*. Eius mihi symbolum videtur fuisse: *Nulla dies sine linea*, suamque fecerat Plinii Maioris sententiam, *perire omne tempus, quod studiis non impertiretur*, nec Plinio Juniori non assensus erat, qui censebat: *Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur.* Solitariam autem vitam adeo amavit, ut ab amore Venerum coniugioque maritali prorsus abstineret, quam conditionem vivendi a diligenti studiorum cura et intentione abhorrere arbitrabatur[53]); quamquam conviviis moderatis et honestis hominum litteratorum non invitus intererat, non ad voluptatem, sed ad remissionem animi, quae maxime sermone efficitur familiari. Qua de causa, cum Patavii esset, *Jo. Vincentii Pinelli*[54]), viri clarissimi ac divitissimi domus, et Bononiae domus *Gabr. Palaeoti*, Cardinalis amplissimi, cum quo iam adolescens studiorum causa familiarissime vixerat, non raro ac libenter ab eo frequentabatur. Ibidem cum Bononiae esset, socius

---

53) Coelebs enim semper fuit, quamquam honestissimas uxores ducere ei licebat. Per iocum eum dicere aiunt solitum, Venerem et Minervam numquam fuisse inter se amicas.

54) Cf. Paul. Gualdi Vita J. Vinc. Pinelli. Aug. Vind. 1607. 4. et in Gryphii Vitis selectis XVII eruditissimor. hominum p. 295 sqq. edit. Vratisl. 1739. De Pinellianis illis sodalitiis ipse in Disputatt. Patav. p. 327 ed. Mediol. ita: *Equidem vere dicam, illum mihi diem pulchre vixisse unum videor, quo ad illa tempestiva Pinelliana sodalitia, tum domini humanitate, tum sodalium comitate suavissima vocor, ad quae non nisi qui moribus et doctrina sint spectatissimi, patet aditus. — Ad quae quod ipse* (Robortellum alloquitur) *fortasse non voceris, mores accusa tuos; quis enim in tanta humanitate* (domini et sodalium) *tantam immanitatem, quanta in te est, ferre posset?* etc. Haec Sigonius, cum etiamnum Patavii esset. Nimirum Robortellum omnes honesti homines aspernabantur, abhorrebant, ut aliquam immanem bestiam pestemque fugiebant. Ulti sunt istum hominem mores sui.

erat academiae, quae nominabatur *Convivalis*, cuius, ut ait Frid. Borromaeus[55]), socii fuerunt multi nobiles et plerique litterati urbis illius homines, in quibus Car. Sigonium nominat. Modeste illi, ut ait idem, epulabantur, solutoque convivio schedae dividebantur inter eos, complexae quaestiones elegantissimas, quas postea, ut cuique quaeque contigerat, diserte tractabant, magnusque concursus ad audiendum fiebat.

Publice cum docebat, non, ut alii illius temporis, scripto utebatur, sed memoria scientiaque sua fretus, nullo usus alio adminiculo, memoriter[56]) docere consueverat. Nec dubium est, quin ita auditorum animos maxime sibi conciliaret, ut attentissime eum audirent. Ex eadem re acri eum fuisse memoria intelligimus. Sigonio porro dicunt fuisse vultum liberalem, latam rugosamque frontem, gravem adspectum et staturam mediocrem. Lingua ei non dicitur fuisse expedita et volubilis, nec vox clara et iucunda, ut in pronuntiando non satis gratum se auditorum auribus praeberet, ita ut Robortellus iste, qui lingua celeri et exercitata et magna loquebatur, cum blaesum esse calumniaretur. Haec levia et minuta corporis vitia tanto largius compensabat insigni et inter omnes excellenti virtute; fictam simulationem quam maxime oderat veritatisque erat amantissimus, ut nihil eo verius, simplicius, candidius et fidelius nossent sui. Veritatis ille amor benignissimam vim in opera omnia, quae susceperat, habuit, ut in litteris omnia diligentissime investigaret et perscrutaretur, ne quid falsi fictique admisceretur, neve quidquam, quod minus videretur probabile, inesset. Cavebat maxime, ne fabellas aniles proferret, quarum etiam illa historia erat plenissima. Eandem ob causam in historiis recentiorum

---

55) In libro *de fugienda ostentatione* L. I. c. 1. — Ceterum Sigonius de sua sobria temperantique vivendi ratione ipse coactus criminationibus Robortelli falsis mendacibusque dixit in Disputatt. Patav. L. II. p. 327 ed. Mediol. quae, si utriusque mores et vitam cognoscere volueris, non te poenitebit legisse. — Nec tamen non exemplo suo a puero usque ad supremum vitae diem confirmavit verum esse Virgilianum illud, *improbum laborem vincere omnia.*

56) Aliter iste Robortellus, qui de scripto omnia docebat, ridiculumque se nonnumquam fecerat, cum schedas suas, quibus, quae docturus erat, inscripserat, aut oblitus erat aut in via amiserat. Talia quaedam festiva iocique plena de eo narrat Sigonius in disputatt. Patavinis.

temporum scribendis Taciteum[57]) illud *sine ira et studio historias scribendas esse, et incorruptam fidem professis neque amore quemquam et sine odio dicendum esse* — unice probabat et persequebatur; unde natae sunt illae querelae Venetorum et Bononiensium, quod in utriusque urbis historia complura interposuisset, quae ipsis minus placerent, et aliquamdiu impedimento essent, quominus typis imprimerentur. Animus non patiebatur, ut historiae leges negligeret gratiamque quandam quorundam hominum et civitatum aucuparetur.

Verum enimvero res, quas potissimum tractandas elegit, numquam fere fuerunt levioris momenti, neque eas solum diligentissime investigare et in omnes partes religiosissime perpendere, sed etiam oratione, quantum potuit et licuit, eleganti exponere studebat. Oratione latina usus est quam maxime pura et integra. Sigonium igitur sive criticum, sive antiquarum civitatium formarum investigatorem, sive historicum consideramus, is sine ulla controversia locum tenet primarium. Etenim in libris Livii corrigendis et emendandis primus fere fuit, qui felicissimo successu, caute et considerate, non temerario impetu elaborarit. Age videamus de eius editione quid *Jo. Frid. Gronovius*, iudex et existimator intelligentissimus iudicaverit, qui haec in praefat. editionis Livii: *Quo plausu exceptum* (Livium Sigonii intelligit) *dicat Hadrianus Turnebus: Erroribus Livii exhauriendis bonam fidelemque navavit operam vir eruditissimus Car. Sigonius, quem ego et antiquitatis peritissimum et bonorum scriptorum intelligentissimum et eruditissimum nominare meritissumo possum: ut, si quid reliquum sit in Livio, perexiguum videri debeat, in quo levi parvaque opera alii defungantur.* Haec ex Turnebi libris Gronovius. Quid Muretus, aeque optimus iudex? *Homo eruditissimus*, inquit[58]), *mihique amicissimus Car. Sigonius, qui hoc tempore tantum in Livii annalibus praestitit, quantum vix sperare fas erat.* Idem alio loco[59]), ubi coniecturam

57) Tacit. Hist. I, 1.

58) Var. lectt. XV, 14.

59) Var. lectt. XIX, 15. Idem quanti eum fecerit, e compluribus epistolis, quas ad Manutium aliosque scripsit, intelliges, ex quibus hoc quoque apparebit inter eos commercium quoddam litterarum fuisse, etsi utriusque epistolas perisse dolemus.

aliquam Sigonii improbat, modeste ac verecunde addit: *Verum ubi plura nitent, non est, quod quemque paucae offendant maculae, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura.* Idem iudicium ceteri omnes dixerunt[60]). In libris autem eius, qui rerum publicarum Romanorum, Atheniensium et Ebraeorum formam et administrationem exponunt et illustrant, nemo maximam in rebus memoria dignis ex antiquis scriptoribus eruendis desiderabit diligentiam, praesertim cum non minus acre iudicium, quam summam doctrinam adhibuerit; quibus ingenii virtutibus multa explicuit obscura, difficilia, inexplicabilia, ita ut docti homines, qui easdem aut similes res postea tractaturi erant, in eius vestigiis confidenter insistere possent. Quibus de causis eius libri in eiusmodi rebus tractandis exemplaria omnium posteriorum fuerunt. Onuphrius[61]) quidem Panvinius et Paul. Manutius aequales eius, optimi talium rerum, in quibus ipsi versati erant, iudices, eum ob singularem totius antiquitatis scientiam prae ceteris omnibus plurimi aestimabant. Neque vero minus ille in antiquiore Romanorum historia facem quandam criticam primus fere accendit, utpote fasti consulares, qui siderum lucidorum instar in illa doctrinae parte atra caligine offusa lucebant, plurimum ei debuerunt et emendando et supplendo, in eisque accuratius et diligentius perscrutandis fusiusque expo-

---

60) Cf. quae Andr. Drakenborchius de Sigonii in Livium meritis iudicat in T. VII. p. XL—XLV edit. Lugd. Bat. (T. XV. P. I. p. LXIX sqq ed. Stuttg.)

61) Lege supra eiusdem de eo iudicium, cuius aliud simile honorificum invenies in eius Commentar. ad libr. II Fastorum a. U. 1089. De his tribus autem vere iudicavit J. Gc. Graevius in praefat. Thesauri antiq. Rom. T. I. *Itali*, inquit ille, *principes fuerunt, qui a renatis litteris aditum quasi aperuerunt, ut ad ceterarum optimarum artium, sic et ad huius doctrinae intelligentiam. Inter eos tres eminuerunt praecipue fere aequales, Paul. Manutius, Car. Sigonius, Onuphr. Panvinius.* Ibidem ille de Sigonio singillatim plura lectu dignissima addidit. — Nec eum hodie quoque veretur ea in re *virum magnum* nominare vir archaeologiae graecae intelligentissimus C. Frid. Hermannus in libro: *Lehrbuch der griech. Staatsalterthümer* p. 8 dicens: *Auch hier brach der grosse Sigonius die Bahn*, et p. 243. *Ueber Athens Staatsverfassung behält Sigonius Werk de republica Atheniensium noch immer Werth als selbstständige Forschung und Grundlage der meisten folgenden.* — Cum omni tempore parum multi sint, qui de eiusmodi rebus recte iudicare queant, eo ampliora sunt talia talium hominum iudicia.

nendis quasi lux in tenebris pracivit. Parem diligentiam curamque et doctrinam in libris illis de regno Italiae et de imperio occidentali collocavit, quorum omnium librorum oratio latina non minore laude digna est, cum facilis sit, lactea Livii ubertate, pura nec inquinata.

Humanitatis autem et comitatis hoc fuit clarum et manifestum indicium, quod amicis et discipulis eius omni tempore patebat aditus, domus numquam clausa fuit, seque potius maluit conveniri, quam convenire alios. Aliorum in gratiam non fuit parcus temporis, in suam parcissimus. Ecce magistrum quem omnes imitentur dignissimum! ecce hominem humanitate, liberalitate ac comitate omnium animos sibi conciliantem!

Hae cum in eo essent animi ingeniique virtutes, non est mirandum, quod eum omnes illius temporis homines ingenio, virtute, doctrina praestantes summo honore et observantia prosequerentur, et quod, ubicunque habitaret, apud cives suos carissimus et spectatissimus esset. Habet enim venerationem iustam, quidquid excellit. Principibus vero viris non solum loco et genere, sed etiam ingenio et doctrina placuisse, summa sane est laus, quam laudem ei contigisse, testes sunt epistolae, quibus libros suos amplissimis viris inscripsit. Amicissimi autem eius fuerunt Paul. Manutius, Onuphr. Panvinius, M. Anton. Muretus, Guil. Canterus[62]), Hieron. Osorius, Aldus Manutius Pauli filius, alii complures, qui omnes magnam nominis famam in litteris nacti sunt.

---

62) Huius critici acutissimi amplum iudicium de Sigonio non indignum est, quod hic legatur. Is enim *Novarum* suarum *lectionum* editionem secundam *Sigonio* inscripsit interque alia in epistola praemissa haec dixit: «*Hunc librum cur ad te potissimum duxerim veniendum, doctissime Sigoni, non paucas possum nec exiguas causas dicere. Si quis enim est, cuius eruditionem atque doctrinam liceat admirari, tuam omnes multiplicem et absolutam iure suspiciunt; quippe non Italia modo omnis, verum tota fere Europa prope tanquam numen aliquod eam ob rem colat. Si cuius deinde humanitatem praedicare libeat, tua tanquam singularis erga literatos et literarum amantes praesertim omnibus iam pridem ubique in ore versatur. Si quem denique optimarum artium tanquam creditorem optime meritum statuere debeamus, quis tibi praeferri recte possit, non video; qui sic eas et voce quotidie et scriptis exornes atque expolias, ut iam nihil ad summam perfectionem deesse videatur.*» — Atque ea Canterus scripsit iam anno 1566, viginti fere annis ante Sigonii mortem.

Quanta docendi arte, quanta scientia quantoque plausu auditorum docuerit, Alexander Caprara[63]) eius amicissimus docet loquens de eius trium annorum commoratione Patavina: *In quo* (gymnasio), inquit, *vix credibile est, quanto hominum concursu et contentione per triennium auditus sit.* Ubicumque morabatur, Mutinae, Venetiis, Patavii, Bononiae, eo Itali et exteri adolescentes undique confluxerunt ad audiendum summum doctorem.

Sed satis de hoc. Quae narravi, declarant cum omnibus adolescentibus, qui magna spectant, tanquam exemplar animi integritatis, humanitatis, indefessae assiduitatis et consideratae diligentiae iure meritoque proponi posse, nec usquam in vita eius rationem summi officii desiderari. Hinc gloriam et laudem et aeternitatem assecutus est. *Et quid homini*, ut ait Plinius[64]), *potest dari maius, quam gloria et laus et aeternitas?* Studio certe nemo nec industria maiore fuit, qui praestiterit Car. Sigonio; nec vero pietate nec continentia nec ullo genere virtutis quemquam eius aetatis cum illo conferendum puto. Habent adolescentes, quem spectent, quem imitentur, colant, observent. *Decus fuit suae omnisque aetatis.*

His addam postremum, quod vix videtur esse praeterundum.

CAROLUS SIGONIUS

Carmen Jo. Matthaei Toscani[65]).

Roma prius duplici sese munimine tutam
Temporis adversus credidit esse minas.
Sculpta per aeternam sperabat marmora famam
Perpetuumque sibi nomen ab historia.

---

63) In elogio Car. Sigonii p. XXI. T. I. Operum ed. Mediol.

64) Epist. III, 21.

65) Fuit is Mediolanensis, discipulus Sigonii, qui vivo etiamtum Sigonio Lutetiae 1578 edidit librum, qui inscribitur: *Peplus Italiae, opus, in quo illustres viri grammatici, oratores* etc. *tum carmine tum soluta oratione recensentur.* Eum librum Jo. Alb. Fabricius *Conspectui* suo *thesauri litterarii Italiae*, quem Hamburgi 1749 edidit, totum adiunxit, ubi Libro IV nr. CLXXXIII. p. 508 carmen illud reperitur.

Sed misera experta est munimen utrumque caducum,
Barbarico toties illa cremata rogo.
Quam prius ornabant, nunc foedant marmora Romam,
Parte sui historiae dum meliore carent.
At nunc Romanos olim numerantia fastos
Funditus heu longa paene abolita die
Marmora *Sigonii* miro reparantur ab ausu:
Historiam et longo vindicat ille situ.
Si quod mille tibi non, Roma, dedere triumphi,
Quod nec mille libri, signave mille, decus
Exstinctum iacuit, quod mille aut pluribus annis
Momento recipis munere Sigonii.

His versibus Toscanus soluta oratione addidit haec: *Sigonii Mutinensis vivam vocem optimos auctores explicantem audisse me Bononiae non sine gloriatione profiteor. Quo totius antiquitatis peritiorem nec nostra saecula nec priora tulisse, si affirmem, facile me iis probaturum sententiam nostram confido, ad quorum manus latina eius monimenta pervenerint, ut Fasti et de antiquo iure Romanorum et de veteribus provinciis. Vivit adhuc et immortalitate digna meditatur.* Haec Toscanus.

Denique conferri merentur Manutii epistolae II, 9. III, 6. V, 8 et 10, VI, 3 et 4. VIII, 12 ac prae ceteris V, 18, quam ad Sigonium, cum is Patavium abisset, scripsit. Adde Jo. Caselii Rostochiensis, qui Italiam studiorum causa peragrans anno 1560 etiam Sigonium Bononiae salutaverat, epistolam ad Sigonium, in Caselii epist. p. 550. Multa alia addi possunt; sed manum de tabula! Jam venio ad eius libros.

INDEX LIBRORUM SIGONII.

Quid in enumerandis et recensendis singulorum librorum editionibus praestiterim, iudicent ii, qui me instructiores sunt librorum apparatu, et mecum vel cum omnibus, quidquid omisi, benevole quaeso communicent.

Plenissima librorum Sigonii multisque ineditis libris novisque aliorum additamentis, correctionibus et annotationibus aucta editio est Mediolanensis, quae inscripta est:

Caroli Sigonii Opera omnia edita et inedita. Cum notis variorum illustrium virorum et eiusdem vita a cl. Viro L. Anton. Muratorio conscripta Phil. Argelatus Bononiensis nunc primum collegit suasque animadversiones in aliquot ipsius Sigonii opuscula adiecit nec non indicibus locupletissimis exornavit. Mediolani 1732—1737. 6 Tomi fol.

Splendida editio, in cuius tomi sexti extrema parte sunt: *Anonymi censurae in varia C. Sigonii opera cum responsionibus Sigonii ad easdem ex mss. codd.* — In quo tomo huius editionis singula scripta reperiantur, ad singula postea annotabo.

Alia librorum collectio multo minus integra prius vulgata erat Francofurti apud Wechelium annis 1591 — 1593 et iterata Hanoviae apud eundem Wechel. annis 1604—1609. Ea editio ex tribus partibus sive voluminibus constare dicitur. Hunc eius titulum exhibent:

Car. Sigonii Opera omnia. Francof. Wechel. 1591—1593. 3 Vol. f. Hanov. et Francof. Wechel. 1604—1609. 3 Vol. f.

Quoniam neutram editionem umquam vidi, indicabo, ut in indicibus librorum reperi, quae singula volumina continere dicantur.

T. I. Historia de rebus Bononiensibus l. 8. De vita Andr. Doriae l. 2. Orationes aliquot. Emendationes adversus Franc. Robortellum. Disputationes Patavinae. Nic. Gruchii de comitiis l. 3 et adversus hos Sigonii sententiae. Francof. 1591. Hanov. et Francof. 1604.

T. II. De antiquo iure civium Romanorum, Italiae, Provinciarum ac Romanae iurisprudentiae iudiciis l. XI. De republica Atheniensium eorumque ac Lacedaemoniorum temporibus l. V. De republica Ebraeorum l. 7. et in B. Sulpicii Severi historicos libros duos commentarii duo. Addita in fine anacephalaeosis chronologica historiarum Sulpicianarum. Francof. 1592. Hanov. 1609.

T. III. Fasti consulares ac triumphi acti a Romulo rege usque ad Tiberium Caesarem. In Fastos ac triumphos id est in universam historiam commentarius. De nominibus liber. Historiarum de regno Italiae l. XX. Francof. 1591. Hanov. 1609.

Sic libri tum editi in his tribus tomis dispertiti esse dicuntur. Verisimile autem mihi est singulos libros suos quemque habere titulos nec non separatim fuisse venales. Qua de re in bibliothecis virorum doctorum libri singuli a ceteris separati reperiuntur, ut *Historiarum de regno Italiae* l. 20 tum Francof. 1591, tum Hanov. et Francof. 1609 — ac similiter alii.

SINGULI LIBRI ORDINE ANNORUM DIGESTI.

1. *Demosthenis aliquot orationes Philippicae e graeco in latinum translatae.* Mutinae s. a. (fortasse anno 1544).

Huius primi libelli exemplaria ita interciderunt omnia, ut neque Argelatus ullum invenire potuerit, neque eius unquam alius litterator mentionem fecerit. Confer quae supra de eo retuli.

2. *Confutatio censurae Anton. Bendinelli. Edidit Saulus Ronci (Ronchi).* Mutinae s. a. (fortasse 1546).

Hunc quoque libellum certe ex paucis plagulis constantem nemo se vidisse ait.

3. *Vita P. Cornelii Scipionis Aemiliani.*

Quo loco et quo anno ea vulgata sit, incertum est, fortasse Mutinae 1550. Ab aliis ea tum edita esse prorsus negatur, sed primum anno 1569. Vide quae supra de ea re dixi. Quem nunc novimus librum, is certe anno 1569 editus est.

4. *Fasti consulares ac triumphi acti a Romulo rege usque ad Tiberium Caesarem.* Mutinae ap. Gadald. 1550. fol. Edit. II, *acc. de nominibus liber, calendarium vetus Romanum e marmore descriptum et Pauli Manutii de veterum dierum ordine opinio.* Venet. ap. Ald. 1555 f.

Neutri editioni commentarius adiectus est. Dicatus est liber: *Herculi II, Ferrariensium duci.* Mutinae Idib. Mart. 1550. Editionem *secundam* rarissimam reperi in Bibliotheca Hulsiana T. I. p. 176. nr. 2343. Ceterum hi fasti emendatiores et commentario aucti posthac a. 1556 prodierunt, de qua editione infra. — Errant autem F. Ign. Fournier in Nouv. dictionnaire portatif de bibliogr. p. 433. et Brunet in Manuel du libraire T. II. p. 482, qui *secundam* editionem *primam* nominant.

5. *De nominibus Romanorum liber.* Mutinae 1553. 4.

Liber non est singillatim postea repetitus, sed secundae et tertiae Fastorum editioni adiunctus. Exstat in edit. Operum Mediolanensi in T. VI. p. 383 sqq. — Insertus item est in T. II Graevii Thesauri antiq. Rom., itemque dicitur esse in edit. prima *Auctorum* latinae linguae in unam redactor. corpus a Dion. Gothofredo, (Lugduni) ap. Guil. Laemar. 1585. editorum, non tamen adiectus est reliquis editionibus. Cf. Freytagii apparatum litterar. T. III. p. 61.

6. *Orationes quatuor pro eloquentia.* Venet. 1555. 4. Postea eae cum tribus aliis anno 1560 repetitae sunt, de qua editione infra.

7. *Livii historiarum libri.* Cum scholiis Car. Sigonii et chronologia Liviana. Venet. Paul. Manut. 1555. 2 Vol. f.

Missum est hoc opus: *Bernardino Lauredano Andreae filio Patricio Veneto.* Venet. Non. Mai. 1555. Ex duabus partibus constat; prior continet Livii historias, altera Sigonii scholia et chronologiam. Repetita est editio Venet. 1566, et postremum ab ipso vivo emendata et aucta. Venet. 1572. In hac editione parti II, quae scholia multis partibus aucta continet, annexae esse dicuntur *Car. Sigonii Livianorum scholiorum aliquot defensiones adversus Glareanum et Robortellum*, quae 32 paginas compleant. Cf. Eberti Allg. bibliogr. Lexicon. B. I. p. 999 et Schweigeri librum T. II. P. I. p. 531. Post eius mortem eam cum emendationibus et additamentis ex Sigonii exemplari transcriptis suisque annotationibus denuo vulgavit Anton. Florebellus, episcopus Lavellinus, quem Sigonius virum ingenii et doctrinae laude praestantissimum nominat, Venet. 1592, quae editio ceteris omnibus praeferenda est. — Aliter alios sentire video, ut Ebertum in lexico bibliogr. Ego assentior Drakenborchio, qui hanc unice comparandam esse censet. — *Sigonii scholia* cum singularem editionis partem forment, saepe sine textu, quem dicimus, Livii reperiuntur. Ea edita praeterea sunt Basil. 1556. 8. tamquam appendix editionis Basileensis. Item transierunt in complures editiones, ut in Gronovianam et Drakenborchianam. Item exstant cum eius defensionibus adversus Glareanum, Robortellum et Faernum in edit. Operum Mediolanensis T. III. cum Jos. Mar. Stampae adnotationibus. — *Eius scholia ad epitomas* transierunt in *Flori* aliquot editiones, ut in S. Gervasianam 1606 8.

8. *Car. Sigonii Fasti consulares ac triumphi acti a Romulo rege usque ad Ti. Caesarem. Eiusdem in fastos et triumphos id est in universam Romanam historiam commentarius. Eiusdem de nominibus Romanorum liber.* **Venet. ap. Paul. Manut. 1556. 2 P. f.**

Tertia haec est fastorum editio. Prior pars continet *Fastos* cum priore inscriptione *Herculis II, Ferrariensium ducis;* posterior, quae missa est *Serenissimo ac illustrissimo Venetiarum principi Laurentio Priolo.* Venet. prid. Non. Julias 1556, continet commentarium et de nominibus Romanorum librum; illa habet 16 plagulas, haec 170 plagg. Repetitus est liber Venet. 1559. f. Eodem anno Basileae. f. (Cf. Bibl. Almeloveen. p. 151 nr. 669. Uffenbach. T. II. p. 7. Mencken. p. 302. Harles. P. II. p. 26 et Gurlitt. p. 609). Excud. H. Steph. 1568. 8, cui annexuit *Velleium Paterculum*, quorum ex utroque libro primum volumen scriptorum historiae Romanae graecor. et latin. efficitur; quae editio num etiam iam anno 1561 (ut est in indice bibl. Heins. P. I. p. 361. nr. 550) prodierit, alii diiudicent. — Venet. 1569. f. Basil. eod. anno. f. (Cf. Bibl. Anonym. Hag. Vol. I. p. 98). Francof. 1588. f. quae editio est Tomus I. Latinor. scriptorum minorum histor. Rom. edit. Fr. Sylburgii. Ibid. 1591. f. Hanov. et Francof. 1609. f. Optime in edit. Operum Mediolanensi T. I. cum annotatt. et fastorum triumphorumque post Sigonium continuatione Jos. Mar. Stampae. — Denique sine libro de nominibus tamquam *Appendix* sive Tom. VII Oxoniensis editionis Livii anni 1801 (1802). 12.

9. *Emendationum adversus Franc. Robortellum* libri 2 Venet. Ald. 1557. 4.

Missus est liber: *Ad clarissimum virum Bernardum Naugerium Senatus Veneti apud Pontificem Maximum legatum.* Repetitus est Venet. 1575. 8, quae editio haud scio an dubia sit. Francof. 1591. f. Hanov. 1604 f. in Gruteri Lampade sive face critica T. II et in edit. Operum Mediolanensi T. VI p. 1 sqq.

10. *Fragmenta Ciceronis passim dispersa Car. Sigonii diligentia collecta et scholiis illustrata.* Venet. 1559. 8.

Repetita Venet. 1560. 8, nihil, ut videtur, mutata. In edit. Mediolanensi T. VI ea recensuit Phil. Argelatus et scholia suis locis disposuit.

11. *Orationes septem.* Venet. Ald. 1560. 4.

Hoc volumen continet primum quatuor illas Venetiis habitas *pro eloquentia* (Cf. Nr. 6), deinde unam *de latinae linguae usu retinendo*, alteram *de laudibus historiae*, tertiam *de laudibus studiorum humanitatis.* Repetitae sunt Paris. 1575. 8. Francof. 1604. f. Colon. Agr. 1592. 8. Ib. 1595. 8. Tum aliquoties cum Muretii Orationibus, epistolis ac poematis tanquam alterum volumen, Colon. Agr. 1609. 8. (Cf. Bibl. Meibom. P. IV. p. 59). Mogunt. 1615. 8. Ursellis 1619. 8. Colon. Agr. 1628. 8. Optime in edit. Operum Mediolan. T. VI cum reliquis tribus postea habitis, quas illae omnes editiones non continent. Videntur autem eae omnes orationes suo quaeque anno singillatim editae fuisse. Cf. Catalogum bibl. Bunav. T. I. Vol. I. p. 444 et p. 641.

12. *Oratio habita VIII Idus Novembr. in gymnasio Patavino.* Patav. 1560. 4.

Repetita cum reliquis duabus postea habitis orationibus in T. VI. editionis Operum Mediolan.

13. *De antiquo iure civium Romanorum l.* 2. Venet. 1560. 4.

Missi sunt hi libri: *Ad Pontificem maximum Pium IV.* Fuerunt quasi praecursores aliorum librorum similis argumenti. Repetiti sunt emendatiores cum sequenti libro anno 1562 (1563), et cum omnibus reliquis anno 1574, ad quem annum vide quae dixi. Eosdem sine reliquis recepit Graevius in Thesaurum antiq. Rom. T. I, qui separatim cum *Pauli Manutii libro de civitate Romana* Lugd. Bat. 1696. fol. in lucem editi sunt.

14. *De antiquo iure Italiae* l. 3. Venet. 1560. 4.

Missi sunt hi libri: *Ad senatum populumque Romanum.* Repetiti cum illis libris *de antiquo iure civium Romanorum* Venet. 1562, in cuius editionis pagina extrema annus 1563 notatus est. (Cf. Bibl. Zochiana p. 610). Cave igitur, ne duas diversas esse editiones existimes. Idem

fecit editor Parisiensis, in cuius editionis (in 8) titulo annus 1572 impressus est, in extrema autem pagina annus 1573, qua de re Graevius annum modo 1572 modo 1573 commemorat. In biblioth. Carpzov. P. I. p. 351. nr. 83. annus 1573 notatus est. Coniunctim hi libri cum reliquis anno 1574 prodierunt, ad quem annum infra plura vide. Ceterum iidem exstant in Tom. II Graevii Thesauri antiq. Rom.

15. *De dialogo liber.* Venet. 1562. 4.

Missus est: *Reverendissimo domino Joanni Morono S. R. E. Cardinali.* Repetitus et Jo. Jessenii a Jessen opera luci redditus. Lips. 1596. 8. In edit. Operum Mediolanensi exstat in T. VI. p. 429 sqq.

16. *Disputationum Patavinarum liber* I *adversus Franc. Robortellum.* Patav. 1562. 4. — *Liber II adv. Fr. Robert. Eiusd. ad epistolam Gabr. Faerni responsio.* Patav. 1562. 4.

Duo sunt singulares libelli deinceps editi, ut recte eos enumeratos invenies in bibliotheca Pinelliana p. 462 et in indice bibliothecae Chr. Dan. Beckii p. 372. Repetiti sunt Francof. 1591 et Hanov. 1604. Optime in edit. Operum Mediolan. T. VI. p. 225 sqq. — Responsionem ad epistolam Faerni invenies etiam in T. VII edit. Drakenb. Livii. Ista autem epistola Gabr. Faerni edita est a Franc. Robortello ficto nomine Altilii Aquilae. Patav. 1557. 4, cui epistolae, cum intercessore Hier. Seripando lis iam quinque ante annis sublata esset, Sigonius non respondit. Sed cum ea iterum recruduisset, et eandem epistolam denuo ficto nomine Constantii Charisii Fr. Robortellus edidisset, illam responsionem scripsit iniquo animo.

17. *Oratio de ingenio excolendo et de laudibus Bononiae habita* VIII Idus Novembr. 1563 in academia Bononiensi. Bonon. 1563. 4.

Repetita non videtur esse in editionibus Francofurtana et Hanoviana; nec in ceteris omnibus supra allatis; cum octo reliquis autem edita est in edit. Operum Mediolan. T. VI. Eam tamen se Argelatus primum edidisse ait, quam nescio ubi iam prius editam inveni.

18. *De republica Atheniensium l. 4.* Bonon. 1564. 4.

Missi sunt: *Ad reverendissimum virum Petr. Donatum Caesium, Episcopum Narniensium.* Repetiti Venet. 1564. 8. (Cf. Bibl. Bodmanni. p. 17 nr. 173.) Ibid. 1565. 8. (Cf. Bibl. Feuerlini. P. II. p. 281.) Paris. 1576. f. et cum illis *de antiquo iure Romanorum* secundum editionem Bonon. 1574, in editt. Francofurtana (1595) et Hanoviana (1609 et 1611); postea in Jac. Gronovii Thesaur. antiq. Graec. T. V, et postremum cum annotat. Anonymi de societate Jesu cum tabula chorographica et praefatione in T. V edit. Operum Mediolanensis.

19. *De Atheniensium Lacedaemoniorumque temporibus liber.* Venet. 1564. 4.

Missus est: *Clarissimo viro Andreae Lauredano, Bernardini filio, Patricio Veneto. Bonon. Kal. Sept.* 1564. Formam libri alii octuplicem esse dicunt, alii quadruplicem, quam habent exemplaria in biblioth. N. Heinsii. P. II. p. 146 nr. 128. et p. 152 nr. 239. et in bibl. J. Ben. Carpzov. p. 55 nr. 1677. Repetitus in editt. Francof. 1592 et Hanov. 1609., in Gronovii Thesaur. antiq. graec. T. V et cum auctario chronologico Anonymi de societ. Jesu in T. V edit. Operum Mediolan.

20. *Aristotelis de arte rhetorica l. 3. Car. Sigonio interprete.* Venet. (Bonon.) 1565. 8.

Missi sunt libri: *Ornatissimo viro Horatio Malegutio, Patricio Regiensi. Bonon. Idib. Septembr.* 1565. Haec igitur libri editio non potest non esse prima: quam autem Hoffmannus in Lexici bibliogr. T. I. p. 336 affert Cracov. 1557. 8, ea aut nulla est, aut mendosa est anni nota. Ceterum illa prima Venetiisne an Bononiae impressa sit, nescio. Hoc certum est secundam editionem Venetiis ex off. Jordani Zilleti 1566. 8 prodisse. Repetita est Rostoch. 1573. 8. Ib. 1577. 8. (Cf. biblioth. Carpzov. P. II. p. 150 nr. 325 et bibl. F. A. Wolfii p. 113 nr. 3468.) Praeterea notatam in Catal. libror. Fr. V. Reizii p. 79 nr. 1176 inveni Helmst. 1654. 8, quae notatio loci et anni an errore nitatur, nescio. Optime in edit. Operum Mediolan. T. VI.

21. *De binis comitiis et lege curiata posterior cum Nicol. Gruchio disputatio.* Bonon. 1566. 4.

Missa est: *Illustrissimo iuveni Nicolao Fierleio de Dambrovicza Joannis Palatini Lublinensis F. Casimiriensi Praefecto.* Bonon. Kal. Febr. 1566. Repetita cum *Nic. Gruchii* Refutatione posterioris disputationis Sigonii. Paris. 1567. 8. Francof. 1591. f. Hanov. 1604. f., in Graevii Thes. antiq. Rom. T. I et in T. VI. edit. Operum Mediolan. — Ceterum Sigonius hoc libello refutare studet *Nic. Gruchii responsionem ad binas C. Sigonii reprehensiones, unam de binis magistratuum comitiis, alteram de lege curiata.* Paris. 1565. 8.

22. *De antiquo iure provinciarum* l. 2. Venet. 1567. 4.

Missi sunt: *Ad magnificum virum Joannem Vincentium Pinellum.* Annus, quo prodiit liber, modo notatur 1567, ut in bibl. Zochiana p. 611 et in bibl. Bodmanni p. 13 nr. 221, modo 1568, ut in bibl. Mencken. p. 187 et Harlesiana P. II. p. 10 nr. 167, quae novane sit editio, an in libro ipso duae sint anni notae, alia in titulo, alia in extrema pagina, nescio. — Duo hi libri postea anno 1574 a Sigonio *tertio* libro aucti sunt, in quo *de lege curiata magistratuum et imperatorum* agitur. Repetiti sunt cum reliquis anno 1574, ad quem confer plura.

23. *De vita et rebus gestis P. Cornelii Scipionis Aemiliani liber.* Bonon. 1569. 4.

Missus est hic liber: *Ad illustrissimum principem Joachimum Fridericum Marchionem Brandenburgensium, Ducem Pomeraniae et Administratorem archiepiscopatus primarii Magdeburgici Dominum suum clementissimum.* — Hic Marchio, qui anno 1550 natus esse dicitur, certe more illius aetatis aliquot annos studiorum causa in Italia commoratus erat Sigoniumque audiverat. Sic ipse princeps suis exemplum insigne et praeclarum dedit ab omnibus imitandum non spernendas esse litteras antiquas. — Utrum haec editio primane sit, an secunda, de eo ambigitur; epistolam quidem ad Marchionem illum missam non posse non eo anno scriptam esse, non viginti annis ante, vetat annus natalis Marchionis illius. Cf. quae ea de re supra dixi. Repetitus est liber studio Jo. Caselii. Rostoch. 1583. 4, item in Andr. Schotti editione Cornelii Nepotis Operum, quae quidem exstant historica. Francof. 1609. f. et in Arntzenii edit. Sexti Aurelii Victoris. Amst. 1733. 4 et postremum in T. III edit. Operum Mediolanensis cum praevia dissertatione Phil. Argelati.

24. *De lege curiata magistratuum et imperatorum et eorum iure liber ad Nic. Gruchium.* Venet. 1569. 4.

Missus est: *Ad illustrem iuvenem Joannem Riccium Politianum.* Repetitus in Graevii Thesaur. antiq. Rom. T. I et in edit. Operum Mediolanensis T. V, quem repetere inutile erat, cum Sigonius ipse quae probavit tanquam librum tertium duobus libris de antiquo iure provinciarum postea annexuit.

25. *Scholiorum Livianorum aliquot defensiones adversus Glareanum et Robortellum.* Venet. 1572. f. (52 pagg.)

Annexae sunt scholiis prioribus multo emendatioribus novae editionis Livii, quae eo anno ab ipso emendata et aucta procurata est. Repetitae in edit. Operum Mediolan. T. III. p. 1009 sqq. et in edit. Drackenborch. T. VII. p. 93—118.

26. *De antiquo iure populi Romani libri undecim, duo de civium Romanorum, tres de Italiae, totidem de provinciarum antiquo iure, reliqui* (tres) *de Romanae iurisprudentiae iudiciis.* Bonon. (Venet.) 1574. f. (4.)

Ita tandem hoc uno volumine et quasi uno corpore complexus est *totum antiquum ius populi Romani*, quod octo libris sive tribus voluminibus hucusque tractaverat, quibus tres novos libros *de Romanae iurisprudentiae iudiciis* addidit et ita opus absolvit. Hos tres libros misit: *Ad amplissimum Praesulem Jo. Baptist. Campegium, Maioricensem episcopum;* totum volumen autem misit sive dedicavit: *Illustrissimo atque excellentissimo Domino Jacobo Boncompagno, generali S. R. E. gubernatori.* Bonon. Kal. Novembr. 1574. — Locum, quo editio impressa est, alii esse dicunt *Venetias*, recte an secus nescio. *Bononium* habuerunt exemplaria libri in biblioth. Almeloveen. p. 140 nr. 509, in Uffenbach. T. II. p. 7. in Hulsiana T. I. p. 83, in

bibl. Anonymi (Hag. Com. 1728) P. I. p. 98 in Pinelliana p. 451. nr. 11115. et in Weigelii apparatus supplem. nr. 11564, quorum forma maxima fuit, non minor, quam dicimus in Quarto. — Editio repetita est additis libris de republica Atheniensium et de Atheniensium Lacedaemoniorumque temporibus, quamquam singuli libri singulos habere titulos videntur, ut separari possent — Paris. 1576. f. Bonon. 1584 f. Francof. 1593 f. Hanov. 1609. 1611. Francof. 1613. Inserti sunt libri in Graevii Thesaur. antiq. Rom. T. II et a reliquis eius tomi scriptis separati prodierunt Ultraiecti 1695. f. Non multo post prodierunt libri illi undecim, his in titulo additis verbis: *Accedit praeter observationes Latini Latinii, animadversiones J. Ge. Graevii indicemque rerum et verborum nova dissertatio prooemialis Thomasiana de usu vario studii antiquitatum.* Lips. et Hal. 1715. 2 Tom. 8. Editor fuit Christ. Thomasius, Professor Lipsiensis. Ultima est in edit. Operum Mediolan. T. V cum adnotatt. J. Ge. Graevii et Latini Latinii iam editis, nunc vero a Jo. Maderno novis commentariis illustrati cum binis praefationibus Ludov. Voigt.

27. *De regno Italiae l. 15 ab anno 570 usque ad a. 1200.* Venet. 1574. f. *Libros quinque reliquos ab a. 1200 usque ad a. 1286 post mortem Sigonii edidit Alexander Caprara* (aut Jo. Vincent. Pinellus). Venet. 1591. f.

